

## **Werk**

**Titel:** Copiosissima Evangeliorum Dominicalium Expositio

**Autor:** Bakius, Reinhardus

**Verlag:** Lungius; Schmidius

**Ort:** Lübeck; Schleusingae

**Jahr:** 1640

**Kollektion:** VD17-nova

**Werk Id:** PPN616188471

**PURL:** <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PID=PPN616188471> | LOG\_0009

**OPAC:** <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=616188471>

## **Terms and Conditions**

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain these Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

## **Contact**

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen  
Georg-August-Universität Göttingen  
Platz der Göttinger Sieben 1  
37073 Göttingen  
Germany  
Email: [gdz@sub.uni-goettingen.de](mailto:gdz@sub.uni-goettingen.de)

v. 6. fuit ergo Baptista Angelus non natura societate, sed officii dignitate, ut loquitur Hier. quæst. in Matth. Pontificii licet hoc credant & concedant, addunt tamen Johannem dici Angelum propter vitam Angelicam & PLANE sanctam, qua etiam angelicam SUPERARE sanctitatem visus sit adeo, ut Angelus à Ioanne Baptista non sustinuerit adorari suspiciens in eo culmen Apostolicam & angelicam puritatem, Apoc. 19. & 22. Coster. Vide autem per Deum quàm hospites planè & peregrini in Bibliis sint Iesuitæ! ideò dicunt pro Ioanne Evangelista, Ioannem Baptistam, ab angelo esse prohibitum, ne se adoret, interim Scriptura sub peccatum omnes concludit, atq; etiam Ioannem, Rom. 3. & 11. Ioh. 3. Iob. 14. &c. nec nomen Angeli Ioannem ab hac labeliberat, cum Deilegatum esse & peccatorem esse apud omnes sanctos, in hac quidem vitâ concurrat. ¶ Tandem pro æternâ Christi Deitate & essentiz cum Deo patre identitate, ita possumus argumentari contra Photinianos: Ioannes dicitur missus à Deo, Ioh. I. v. 6. atqui Mal. 3. v. 1. Messias ita loquens introducit: Mitto (ego) angelum MEUM ante faciem meam, qui viam parabit ante ME, E. Christus est verus & æternus Deus eiusdem cum patre essentiz, cum Mattheus pro Filio substituat Patrem eadem verba ita repetentem: Mitto angelum meum ante faciem tuam, qui viam parabit ante TE, &c.

## Dominica IV. Adventus,

Evangelium, Ioh. 1.



**H**oc est testimonium Johannis, quando miserant Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes & Levitas, ut interrogarent eum. Tu quis es? Et confessus est, & non negavit. Et confessus est, inquiring: Non sum ego Christus. Et interrogaverunt eum,

N

Quid



*Quid ergo: Helias es tu? Et dicit, non sum. Es tu Propheta ille? Et respondit, Non. Dixerunt ergo ei, Quis es? ut responsum demus iis, qui miserunt nos: Quid dicis de te ipso? Ait, Ego vox clamantis in deserto, Dirigite viam Domini, sicut dixit Esaias Propheta. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisais. Et interroga verunt eum, ac dixerunt ei: Cur ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Helias, neque Propheta? Respondit eis Johannes, dicens: Ego baptizo aqua, sed in medio vestrum stat, quem vos nescitis, Ipse est qui cum me sequeretur, antecessit me, Cuius ego non sum dignus, ut solvam corrigiam calceamenti. Hæc in Bethabara facta sunt, trans Jordanem, ubi Johannes baptizabat.*



Sal. 40. v. 8. Dominus Messias ita loquitur: *Ecce VENIO*, in capite libri scriptum est de me, &c. egregiam sanè sententiam, quæ omnibus Christianis nostri partibus competit: quoties enim sacras verbi divini conciones audimus, quid quæso aliud Christus dicit, quàm hoc: *ECCE VENIO*, ut in corde tuo habitem; si enim quis me dilexerit, & sermonem meum servaverit, ad illum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Joh. 14. porrò, si infantes nostri baptizantur, quid quæso aliud Christus dicit quam: *ECCE VENIO*, ut sanguine meo à peccatis parvulum abluam, quotquot enim baptizamur, in remissionem peccatorum baptizamur, Act. 2. Sic, si peccata nostra Deo ejusq; ministro confiteamur, quid aliud re-



ud respondet Christus, quam: **ECCĒ VENIO** ut in gratiam te recipiam, quisquis enim verâ animi contritione me accesserit eum non ejiciam foràs, Ioh. 6. Præterea, si sacrâ Domini cœnâ fruamur, quid aliud Christus dicit quam: **ECCĒ VENIO** ut meo corpore cruoreq; meo te reficiam; venire ergò ad me omnes qui laboratis & onerati estis, Ego reficiam vos, Matth. 11. Sic, si devotè precemur, quid aliud Christus respondet quam: **ECCĒ VENIO**, ut te exaudiam & liberem, Psal. 50. imò si unquam sermo fuit de tempore præsentis, certè temporis percommoda erunt hæc Messiz verba: *Ecce venio, Ecce Rex Tuus, venit Tibi, dictum est Dom. 1. Adventus: Ecce Dominus veniet & omnes sancti cum eo, dictum est Dom. 2. Adv. Ecce venit & in medio vestri stat, quem vos non nôstis, dictum est, ante octid. imò cum præ foribus jam sit ipsa Servatoris Nativitas, quidiquæso in auribus hodie nostris aliud meritò resonat quam: **ECCĒ VENIO** portas vestras attollite, cæli cives concinite Triumphatori dicite: Salve Iesu rex inclite.* ¶ Veteres præterea hanc Dominicam dixerunt **VACANTEM**, Exord. 11. ex Psal. 46. v. 11. canentes: **VACATE & videte, quoniam Ego sum Deus, exaltabor in gentibus, Exaltabor in terra.** Quæ verba complectuntur. 1. *Hostium nostrorum confusionem*, de lapso enim Mortalium genere hæctenus triumphârat Diabolus; gloriata fuerat mors, superbiærat peccatum; lætatus & dilatatus fuit infernus, sed ante annos 1620. quid respondit Christus, Servator ille incarnandus? **VACATE & videte, quia ego sum Deus exaltabor in gentibus, exaltabor (ob incarnationis mysterium) in terris, à morte liberabo eos, ex inferno educam eos, ero tibi mors ô mors, & tibi ô inferne pestis ero, Ose. 13. 2. complectuntur verba superius posita: *Primariam instantis festi Natalitii conditionem* eò directam, ut sciamus, puerulum recens natum non nudum hominem, sed verum esse Deum juxta illud: **VACATE & videte, quia ego sum Deus**, utiq; Deus erat verbum, Ioh. 1. utiq; Deus in carne manifestatus, 1. Tim. 3. idq; ideò, ut **EXALTETUR** pater ille cœlestis in gentibus, ut **EXALTETUR** in terra, hinc angeli mox canent: **Gloria in excelsis DEO**, & Paulus ideò Christum servi formam assumisse dicit, ut omnium genua flectatur, & omnis lingua confiteatur Christum esse **DOMINUM**, ad **GLORIAM** Dei patris, Phil. 2. 3. complectuntur verba hæc: *dignam ad instans festum preparationem* in eo cum primis consistentem, ut **VACEMUS** à peccatis, & silentes tremendum illud mysterium incarnationis meditemur, ideò acclamat nobis ipse Servator: **VACATE & videre**, vel ut Iosua Israelitis dicebat: *Sanctificamini, cras enim mi-***



*mirabilia faciet Dominus, Ios. 3. v. 5. utiq; mox Mirabilia faciet inter nos Dominus, mirabilis est Dei patris filium mittentis bonitas: mirabilis est filii missi benignitas; mirabilis est S. S. operantis majestas; mirabilis est unio[n]is personalis sublimitas; Ergo Vacate & videte, imo sanctificamini &c. Quomodo autem hæc sanctificatio institui debeat, hoc hodiernum docet Evangelium, si scilicet nos ipsos agnoscamus, subinde cum Baptista attendentes illud: Tu quis es? Si in agnita veritate simus constantes, confitendo cum Baptista & non negando; si porò viam paremus Domino, juxta Baptistæ vocem; imò si humilitati studeamus, & ad usq; Christi pedes nos demittamus, &c. ¶ Typum hod. Evang. si desideres, vide I. Sam. 16. v. 7. ubi Samuel externam saltem formam attendens, alium ungere volebat, cui tamen David vilis ille ovium Pastor fuit prælatus: Sic Iudæi hic Messiam cupiunt non Christum, sed Iohannem, quare quantum opere peccarint, de his postea suo loco.*

*Hoc est testimonium Joannis. ] Notanda particula ἡ ἡγήσθη σου ἐστὶν ἡ μαρτυρία; hoc est Testimonium ILEUD, valde egregium scilicet valde excellens & memorabile, quale hæctenus Baptista Christo dederat nunquam, licet enim aliquoties de Messia testatus fuerat, hoc tamen factum est, vel in carcere squalido coram discipulis saltem paucis: vel in deserto coram plebe & turbis, publicanis, militibus aliisque id genus vilioribus hominibus: Hoc verò memorabile testimonium habuit Iohannes publicè, præsentibus Levitis, Pharisæis & Sacerdotibus hominibus in summa autoritate constitutis. Unde ejus præclara fit mentio, Ioh. 5. v. 33. Matth. II. v. 7. Act. 13. v. 25. ¶ Discamus hic omnes & V. & N. T. Ecclesiæ ministros nihil aliud esse quàm Testes de Christo illo Mundi Servatore unico; hinc si quæras de officio Prophetarum omnium? respondet Petrus, ipsos Christi TESTES fuisse, de hoc Iesu testantur omnes Prophetæ, Act. 10. v. 43. Si quæras de officio Baptistæ? respondet hod. Evang. ipsum Messiam TESTEM fuisse: hoc est illud TESTIMONIUM Joannis. Si quæras de officio Petri? respondet ipse, se *συνμαρτυροῦν* esse ac TESTEM afflictionum Christi, I. Petr. 5. v. 1. Si quæras de officio Pauli? respondet ipse, se TESTEM esse, testificantem Iudæis simul & Græcis conversionem ad Deum & fidem in Christum Iesum Dominum nostrum, Act. 20. v. 21. Si quæras de officio Iohannis Apostolice respondet ille, se testem esse: *Testamur* inquit quod vidimus, patrem scilicet misisse filium mundo Servatorem, I. Ioh. 4. v. 14. imo fide officio*

*Exord. III.*

*Ministri Ecclesiæ testis Christi.*



officio omnium Apostolorum quæras? respondent ipsi: Nos omnes TESTES horum sumus, Luc. 24. v. 48. Act. 10. v. 41. 42. Nos ergò hodieque Christi TESTES sumus, utinam fideles, cum Baptista testes! testium certe conditio requirit: 1. *legitimam vocationem*, temerario enim ausu se ipsum offerenti non creditur. 2. *inculpata[m] vite rationem*; homo enim malæ notæ repudiatur. 3. *accuratam causæ cognitionem*; quæ enim non nosti, quî de illis testari potes? 4. *ingenuam veri confessionem &c.* his studeamus & Testes cum Joanne irreprehensibiles erimus, quò pertinent Versus Jctorum:

*Ætas, conditio, sexus, discretio, Fama*

*Et fortuna, Fides, in Testibus ista requiratur.*

### Miserunt Judæi Hierosolymis Sacerdotes & Levitas.]

Ante ocliduum etiam habuimus legationem, sed talem, quæ huic conferri nullo modo potest: ibi enim legati mittebantur ex tenebroso carcere, hic ex Hierosolyma florentissima totius Orientis urbe: ibi mittebantur legati saltem duo, hic verò complures: ibi Legati erant Discipuli, hic sunt Doctores, Sacerdotes & Legisperiti: ibi mittebantur legati ab homine captivo, & jam jam decollando, hic mittuntur à Reverendo Judæorum Synedrion: ibi mittebantur ad Christum hominem egenum, vilem & coram mundo contemptum: hic ad Joannem virum in universa Judæa celeberrimum: ibi quæstio erat simplex, *num tu venturus ille?* hic verò multoties quæritur, *Tu quis es? Elias es tu? Es tu Prophetæ? quid dicis de teipso? cur baptizas? &c.* Plutarchus refert, Romanos aliquando in Bithyniam misisse tres, quorum unus podagricus, alter capitosus, tertius delirus; hos cum Cato vidit, dixisse fertur: Romanorum Legatos nec pedes, nec caput, nec cor habere; verùm de hodiernis Judæorum legatis hoc dici non potest. Videamus verba: Dicuntur hanc legationem misisse 1. Judæi, ubi non intelligendi sunt vulgares Judæi, sed Judæorum primarii, ideò additur *Ex Hierosolymis*, quia ibi non modo summum erat Synedrion vel Sanhedrim 70. constans judicibus ex domo David electis, 2. Paral. 19. v. 8. Deut. 17. v. 9. sed & 431. Collegia, in quibus à doctissimis artes & Theologia prælegebantur, ut Thalmudici testantur. 2. mittuntur hic partim Sacerdotes, Præsides illi & Interpretes religionis, Deut. 17. v. 9. Mal. 2. v. 7. partim Levitæ, illi Sacrificiorum periti (Nota: Omnis olim Sacerdos erat Levita de tribu Levi oriundus, sed non omnis Levita erat Sacerdos, sed illi tantum Levitæ dice-



bantur, qui sacrificabant.) partim Pharisei v. 24. quia hi in secta & doctissima, & purissima & gravissima vivebant; missi itaque hi sunt, à talibus Iudæis, *qui erant Nobiliores in populo*, ut Lyra habet, vel *sapientissimi in lege*, ut glossa interlin. addit. vel *ex Clericorum ordine primarii*, ut habet Hunn. in Ioh. *als wenn der Pappst einen Legatum à Latere, oder seiner vornembsten Cardinal einen auff Reichstäge verschicket/ Sacc.* Quæritur autem cur tales miserint Iudæi? aliàs enim mittebant vel *ministros suos*, Ioh. 7. v. 45. vel *discipulos suos*, Matth. 22. v. 16. hic autem Sacerdotes, Levitas doctosq; misere Phariseos, &c. 1. quia Ioannes *Sacerdotis erat filius*, gen<sup>o</sup> suum ex ordine *Sacerdotali* ducens, deligunt ergo Legatos ejusdem professionis, sperantes eos plus gratiæ apud Baptistam habituros, *Aret.* 2. quia hi legati optimè Iohannem videbantur redarguere posse & convincere, *Sacerdotes* poterant illi objicere, cur non patriiffaret? cur non, juxta morem pientissimi parentis sui, ut *Sacerdos*, precibus & jejuniis vacaret? cur in paternos mingeret cineres? *Levita* quærere poterant, cur templum deferat, & in eremo doceat? cur Sacrificia negligat, & novam baptisimi instituat ceremoniam? Docti *Pharisei* varios Baptistæ nodos poterant proponere solvendos: cur tam gentes quàm Iudæos ad Ecclesiæ societatem admitteret? cur milites Romanorum prophanos & publicanos nõ excommunicaret? cur cibis vesceretur in lege prohibitis? cur hæc omnia doceret, ab ordinaria potestate non vocatus? &c. 3. hos ideo Legatos miserunt, quia inter illos maximè controversum erat, quisnam novus ille Eremita esset? cum enim omnis ferè Judæa & Galilæa ad Joannem in desertum excurreret, ibi in Synedrio quæsitum, quem venerandi Patres hunc putarent Anachoretam? & apparet ex hod. Evang. tres à Baptista opiniones in medium fuisse prolatas, easq; satis diversas: *Primi* dicebant, Ioannem fortassis promissum *Messiam* sive Christum esse, idque exinde colligi, quod populus magna illi frequentia adhæreat, id quod Iacobus de Messia prædixerit, Gen. 49. v. 10. Alii dicebant Ioannem fortè *Eliam* esse, id quod innui videretur, & ipsius zelus in taxandis Magnatum vitiis, & ipsius zona ac vestitus, ut & locus, cum Baptista concionaretur eo loco, ubi Elias Iordanis aquas dividerat, & curru igneo cælum ascenderat. 3. putarunt Ioannem insignem *Prophetam* esse, idque inde manifestum, quod populus Iudæus, annis ab hinc bene multis, Prophetam caruisset, quodque Ioannes ob excellentia concionandi dona præcis Prophetis non absimilis esset, prædixissetq; diebus



bus jam 40. integris, regnum Dei in propinquo esse, juxta Prophetarum morem, &c. cum itaque quisque suæ adhæreret sententiæ adeò diversæ, & quidem, juxta numerum sententiarum, legati triplices mittuntur *Sacerdotes, Levitæ & Pharisei*. 4. Missi sunt tales Legati ad Joannem, quorum maximè intererat; cessante enim, ob Baptismi institutionem, circumcisionis Sacramento, quid haberent *Sacerdotes*? cessantibus Sacrificiis, ob Joannis, de agno peccato mundi tollente, concionem, quid haberent Levitæ? imò cessante legis doctrinâ, ob Evangelicam Baptistæ prædicationem, quid vel pretii vel autoritatis remaneret *Phariseis*? *Johannis Lehr wölle allenthalben false Ruch und Lehre Beutel machen* / ideo ex singulis Clericorum ordinibus promti sunt aliqui ad missionem, præsertim ob instans Paschatos festum, ubi si omnes ad Joannem in Eremum excurrerent, omnis certè templi cultus labasceret & annihilaretur, ideo legatio hæc facta est, mense Martiò paucis ante Pascha diebus. ¶ Discamus hic: I. Sæpius hostes Ecclesiæ falsò de *pace & concordia* gloriari, jurasset enim quispiam *Levitas, Sacerdotes & Phariseos* vel maximè concordés fuisse, & quidem contra Christum & Baptistam, facilis illorum consensus erat, sed aliàs qualis illorum concordia, etiam in deliberationibus intimis? ibi alii Joannem putabant CHRISTUM, alii *Eliam*, alii *Prophetam*, eaque omnia non sine insigni errore, ut postea: Sicho dieq; Pontificii, quoties gloriantur de sua Concordia, & omnium Doctorum consensu, quem putant peculiarem veræ religionis notam esse, Bellarminus, Lessius, Ulenbergius, & qui non? verum utut contra Evangelium conspirent, & caudis, instar vulpecularum Samsonis colligati sint, inter seiplos tamen tam conveniunt, quàm hoc loco *Sacerdotes, Levitæ & Pharisei*. Scimus enim in Ecclesia Romana floruisse *Theologiam*, jam *Lombardicam*, jam *Thomisticam*, jam *Monasticam*, jam *Intermisticam*, & modò *Theologiam Jesuiticam*: Scimus ipsos discrepare in doctrina *de dubitatione perpetuâ*, quam *Dominicus Sotus* seriò affirmat; *Catharinus* Episc. Minorienis seriò negat, *Patres Concilii Tridentini* nihil de hac quæstione concludere vel voluisse vel potuisse, idem *Catharinus* refert: Scimus Pontificios dissentire in loco *de communione sub una*; *Concilium Constantiense* eam dixit necessariam sub anathemate: *Staphylus* eam dixit esse liberam: *Ius Canon.* dist. 2.c. de consecr. Prohibet eam ceu grande sacrilegium: Scimus Papistas dissentire in loco *de substantiationis*, *Durandus* dixit, immutari panis formam, remanere

Concordia hereticorum plurimum sita.



nerere materiam: *Thomas* dicit contrarium mutari scilicet materiam & remanere formam: alii dixerunt eam mutari panis partem, quæ sumenda à piis, non transmutari eam quæ sit sumenda à impiis, quos confutat *Bell.* t. 3. de Euchar. c. 12. videantur *Meissn.* in *Anti-Lesio* part. 2. p. 300. & seq. *Hunnius* in *Labyrintho*: *Ostander* in *Papa non Papa*, &c. & videbis Pontificiorum Concordiam similem esse pomis in lacu Asphaltide crescentibus, quæ exterius pulchra videntur, interius cineres sunt & favillæ: ita foris pulchrè consentire videntur Papicolæ, qui tamen interius vel maxime dissentiunt. Si itaque in Ecclesiis nostris reperitur consensus: & scripturarum *Canonicus*; & Patrum *Ecclesiasticus* & *intrinsecus* ille, cuius respectu complectimur omnes approbata Symbola, Augustinam Confessionem, Articulos Schmalcaldicos, Lutheri Catechismos, & Formulam Concordiæ: contenti simus, & non moveamur dissidiis particularibus, qualia exorta sunt etiam inter *Mosen* & *Aaronem*, Num. 11. inter *Paulum* & *Barnabam*, Act. 15. v. 39. inter Corinthios, 1. Cor. 1. v. 12. &c.

*Dogmata culinaria & Marfupio detrahentia valde odiosa.*

¶ II. Discamus valde odiosa esse illa dogmata, quæ *anticulinaria* sunt & *anticurialia*; Doctrina enim Sacerdotum & Phariseorum Hierosolymitanorum partim *CULINARIS* erat, partim *CURIALIS*, faciens vel ad Sacerdotum dignitatem augendam, vel ad opulentiam illorum ampliandam, quæ omnia cum Johannis doctrina imminueret, & destrueret jam *Culinaria* jam *Curialia* Pontificum, hinc unanimi furore ipsum aggrediuntur, & *Sacerdotes* & *Levite* & *Pharisei*: Pari modo omnia Pontificis Romani dogmata quid ante centum annos aliud erant, quam partim *CULINARIA*, per quæ Papa dicescebat, quod pertinent articuli *de Missa*, *de Indulgentiis*, *de Satisfactionibus*, *de Purgatorio*, &c. partim vero *CURIALIA* erant, ob quæ Papa timebatur, quo pertinent loci: *de Primatu Petri*, *de clavibus Ecclesia*, *de excommunicatione*, &c. quæ omnia cum Lutherus unus oppugnaret & expugnaret, hinc illæ lachrymæ, hic tantus & *Sacerdotum* & *Levitarum* & *Phariseorum* concursus, furor & fremitus, de quo perbellè Erasmus, quod duo grandia Lutherus peccata commiserit, & *Papa coronam* & *Monachorum ventres attingendo*, sed bene habebat, is qui Johannem tutatus est, defendit etiam Lutherum, nec vel Sacerdos vel Levita illi poterat nocere.

*Non omnis discessio Schisma est.*

¶ III. Discamus non omnem secessionem damnandum schisma esse, Joannes enim discessit 1. à *Judeorum templo*, quod alias domus precationis erat omnibus populis. 2. discessit à *Sacerdotio* interruptâ Episcoporum successione gaudente,



und war sein Vater selbst drunter gewesen. 3. discessit à doctrina Pharisæica, posthabuit legis operibus, ad agnum Dei Christum, homines deducens. 4. circumcissionis Sacramentum abrogavit & Baptismum substituit. 5. Sacrificia sustulit. 6. Sacerdotalem ornatum deposuit & pilis Camelorum in datus Sacramenta administravit, &c. Sacc. Eat nunc Bartolomæus & dicat, Tom. I. p. 265. 267. nihil Joannem in ceremoniis immutasse, nec ullam secessionem à templo & potestate ordinaria ipsum fecisse, sed hæc omnia à nostris consingi ut Lutheri & reliquorum apostasia, Joannis exemplo, excusetur, qui tamen nec ordinariam nec extraordinariam habeant vocationem; Nos resp. Si Johannes à Templo secessionem non fecit, cur hodie Evangelium dicit Judæos ad ipsum egressos? Si Iohannes in ceremoniis nihil immutavit, cur quæruunt Pharisæi, ad quid baptizet? ut ergo Baptista merito à Judæis est egressus, ita & nos à Papatu merito egressi sumus, juxta Exempla Abrahami, Gen. 12. Noæ, Gen. 6. Loth. Gen. 19. Israelitarum, Exod. 14. vide Esa. 48. v. 20. Apoc. 18. v. 5. &c.

Ut interrogarent eum: Tu quis es? ] Diximus antea diversas Sinedrii de Baptista sententias fuisse, prima tamen omnibus aliis prævaluit, Baptistam scilicet Christum vel Messiam esse, causæ erant; 1. quod sceptrum jam à Judæis esset ablatum, juxta vaticinium, Gen. 49. v. 10. 2. quod scirent hebdomadas Danielis 70. vel paulo post implendas (anno scilicet 19. Tyberii, atque sic in passione Christi) ut nonnulli volunt, vel jam impletas tempore scilicet. nativitatis Christi, ut Lyra de aliis refert, Dan. 9. v. 24. 3. quod Prophetas jam dudum non habuissent. 4. quod Monarchia Romana, sub qua Christus nasci debebat Dan. 2. esset in flore. 5. quod Lex per duo annorum millia jam, juxta Eliæ domus vaticinium, durasset. 6. quod Johannes publicè per dies 40. integros dixisset jam Messiam venisse, nec dubium esse, quin ipse sit, utpote ab Angelo prænunciatus, miraculosè natus, sanctissimè conservatus, pœnitentiam prædicans & baptizans, Rudolph. Ardens. 7. quod Magi non ita multis abhinc annis mira narrassent de stella novi regis Judæorum, eaque à Simeone, Hanna & aliis confirmata, &c. Quæritum itaque omnium primo est: an Iohannes esset Messias? & voluit Evangelista hanc quæstionem ita formare: Quis Es Tu? ut summa Satanæ (qui Johannem libentissimè decepisset) calliditas animadvertatur; procul enim dubio ita Baptistam affati sunt Pharisæi: Tu profectò, Sancte Eremita, vir admirandus Fistula dulcè es! quam casta est vita tua! quam aspera est vestis tua! quam vilis est alimonia carnis.



Non omnis in-  
quisitio impro-  
banda.

*tua! quam gravis est & sancta doctrina tua! natus es mirabiliter, corrigis peccato res severiter, poenitentes consolans blandè, baptizas devotè, ex his omnibus nostri Docti non male colligunt te promissum Messiam esse, & quid ni esses? prescripta certè tempora elapsa sunt, nec alium te praestantiorè hodie nostra habet natio, fatère ergo ingenuè: Quis Es Tu? vñ Iohanni si his fidem habuisset blanditiis! ¶ Discamus I. Dignum esse & iustum, ut Magistratus & Politicus & Ecclesiasticus aliquam de religione inquisitionem instituat & quærat, si quis civitatis jus affectet: quis es tu? cui religioni es addictus? ne hæresis clam per oppida serpat, &c. Sic Concionator ante absolutio- nem meritò quærit: quis es tu? unde ad nos venisti? inter quos hætenus vixisti? &c. Unde laudabilis apud nos consuetudo est, quod diligenter exploratur, non modò civilis honestas, sed & Orthodoxia illorum qui in fraternitates & Collegia Clericorum nostrorum admitti debent, ex- plorentur enim hi prius, deinde ministrent si sint inculpati, ait Aposto- lus etiam de Diaconis, I. Tim. 3. v. 10. Verùm extra oleas vagantur Pon- tificii, quando suos hæreticæ (ut vocant) pravitatis INQUISITORES ho- diernis Legatis conferunt & addit *Abraham Bzovius conc. I. super hod. Ev- ang. p. 30. Per tales Inquisitores Italiam, Siciliam, Hispaniam antiqua dogmata illibata retinuisse, & florentissimâ pace ornatâ esse: Sed distinguimus nos in- ter rem & modum rei: aliqualem Magistratui circa religionis negotium inquisitionem jam concessimus, sed modum illum cruentum, Tyran- nicum, Hispanicum & Satanicum quis ferat? cum sciamus semper hæ- reses esse oportere, I. Cor. 11. v. 19. cum sciamus Ecclesiam N. T. sine cæ- de & sanguine esse propagandam, Esa. 11. v. 6. 9. cum sciamus ad fidem cogi neminem posse, sed populum voluntarium Deo vel maximè pla- cere, Psal. 110. v. 3. Proinde inquisitionem discretivam concedimus, coa- ctivam autem rejicimus, nec ita quærendæ sunt oves errantes ut truci- dentur, sed ut convertantur & sanentur, hinc Christus incredulam ci- vilitatem deseri vult, deleri eam non vult, Matth. 10. v. 14. Samaritanos tolerari vult, non exuri, Luc. 9. v. 54. & Paulus Hæreticum vitandum di- cit, non de vita tollendum, Tit. 3. v. 10. 2. Tim. 4. v. 15. ¶ II. Discamus, vero verius esse illud: *Nobile de cælo descendit πῶς ἢ σαυτὸν*, nec melior institui quæstio potest, quam hæc: Quis Es Tu? Equidem non rarò quærimus: Quis est ille? qualem se gerit vicinus ille meus? &c. verùm mul- ti cum multa sciant, seipsos tamen nesciunt, Bernh. in alienis lynces sunt, in propriis talpæ; in fratris oculo festucam quæruni, trabem in proprio negli-**

Optima quæstio:  
quis es tu?



negligentes: mittamus ergo *tertiam personam*, & quæramus ex hoc. Evangel. in *secunda*: *Quis es tu? quis es respectu corporis?* terra & pulvis, si ergo nos de terra sumus, quid est terra nisi fumus? Sed nihil est fumus, ergo nihil fumus, cur itaq; superbit humus? Syr. 10. *quis es tu respectu anima?* homo rationalis ad Dei conditus imaginem; neitaq; fias ut equus & mulus quibus non est intellectus, Psal. 32. *Quis Es Tu respectu natura?* miser peccator & iræ filius Eph. 2. quæras ergo veniam: *quis es Tu respectu gratia?* vas misericordiæ plenum, onustum beneficiis tum corporalibus tum spiritualibus, Ergo Deo gratias agas: *quis es tu respectu functionis?* Ecclesia Doctor es, ergo clama, ne cesses, Esa. 58. v. 1. *Magistratus es*, Ergo iudicium habeas non hominibus, sed Domino, 1. Chron. 19. *Subditus es*, Ergo magistratui obedias, Roman. 13. *Quis es tu respectu vita?* pius es, eja pergas alacriter, *impius es*, emendes te celeriter, &c. Apud Turcas, Sacerdotes in publicis plateis specula gestant, eaque obviantibus inspicienda præbent, ut fragilitatis suæ maneant memores; Hæc verba: *Quis es tu* sint nostrum *speculum*, quod indies aspiciamus & nos ipsos probeamus juxta monitum, 1. Cor. 12. v. 28. 2. Cor. 13. v. 5. Meisn. ¶ III. Discamus homines etiam in summa autoritate constitutos, errare posse, Psal. 62. v. 10. & verum esse illud: *Omnis homo mendax*, Rom. 3. Psal. 14. Magis erant *Levita*, majores *Pharisæi*, maximi *Sacerdotes*; sed quam insignanter errant & hallucinantur hi homines? Putant Johannem Christum vel Messiam esse, cum tamen omnes Prophetæ reclamant: Scriptura dicit Messiam fore *Dominum TEMPLI*, Hagg. 2. cur ergo Judæi talem quærent, qui templum vel nunquam ingressus, in Eremo concionatur? Scriptura dicit Messiam fore *omnium vilissimum*, Esa. 53. cur Ergo Judæi talem quærent, qui in tota Judæa celeberrimus erat? Scriptura dicit Messiam, *excellencia editurum miracula*, Esa. 35. cur Ergo Judæi talem quærent, qui signum ediderat nunquam? Scriptura dicit Messiam fore *Regis Davidis filium*, Esa. 7. 2. Sam. 7. cur ergo Judæi talem quærent, qui Sacerdotis Zachariæ filius est? Scriptura dicit Messiam oriundum *ex tribu Juda*, Gen. 49. cur ergo Judæi talem quærent, qui ortum ex tribu Levi ducit? Scriptura dicit Messiam matrem fore *virginem*, Esa. 9. cur ergo talem volunt Judæi, qui ex vetula Elisabetha natus? Scriptura dicit Messiam nascendum *Bethlehemi*, Mich. 5. cur ergo talem Judæi hic expetunt, qui in Hebrone natus? &c. Das muß man in die Naß reiben denen Leuten / qui putant *Papam & Concilia errare non posse*, cujus etiam

Errare humanum.



opinionis est Apostata ille & popularis noster JOANNES FALCO Iesuita, qui Moguntia theses ad nos misit A. 1619. ex quibus th. 28. ita habet: *Fidei Magistra Christum terris aspectabilis Ecclesia est, semper perannatura, ejus caput Christi in terris Vicarius, Sancti Petri Successor, est Romanus Pontifex, qui FALLINESCUS controversiarum Fidei ac morum Iudex res credendas proponit, & pro Officii auctoritate ex Cathedra definiens errare non potest.* Verum cœcus ille Falco quam malè canit? dicit primò Pontificem Romanum Christi Vicarium esse, At, qui Vicario indiget, is suis vel adesse ipse non potest vel non vult, verum Christum nobis semper adesse & velle & posse, hoc docet Scriptura Matth. 18. & 28. Ergò CHRISTUS Vicario non eget, & quidem tali Vicario qui ipse omnibus Ecclesie membris adesse non potest, & profectò male nobiscum ageretur si CHRISTUM non haberemus propinquiore[m] quam Papam Romanum. 2. Dicit Papam Ecclesie caput esse, at, si Christus est, papa non est, verum Christus est Ecclesie caput unicum, Eph. 5. Col. 1. E. papa non est, nisi dicas Ecclesiam biceps monstrum esse. 3. Dicit pontificem idè Fidei Magistrum esse, quod errare & falli non possit, verum qui in hæresin incidere potest, is profectò & falli potest & errare, Atqui in Colloq. Ratisb. Sess. 2. p. 39. concessit Gretserus Papam in hæresin posse incidere, E. errare poterit & falli; *sequere E. Scripturam, ut errare non possit, illa enim est, qua nec fallit nec fallitur, Aug. l. 1. c. 22. de pecc. merit.* ¶ IV. Discamus Messiam verè jam venisse, idè enim primores Hierosolymitani ad Joannem mittunt legatos, quia norunt & in conscientiis suis convicti sunt, periodum adventui Messie destinatum jam dum evolutam esse, imò hoc innotuit circa illa tempora non Judæis tantum, sed & gentilibus, cum enim Christus cum Samaritana ad fontem colloquitur, illa quasi adventus Messie certa respondet: *Scio quod Messias sit venturus, Joh. 4. v. 25. Certus itaq; & acceptione dignus est sermo, Christum illum promissum venisse in mundum, 1. Tim. 1. nec alium expectandum, Matth. 11. quis cum plenitudo temporis appropinquaret, misit Deus filium, Gal. 4.* ¶ V. Discamus non omni blandienti, & vel nos vel studia nostra commendanti, protinus esse credendum, cogitant hie Judæi: si Baptista honores oblatos arripit, liberet nos à Romanorum potestate, & ita sit sanè ad tempus vel Christus, vel Elias, vel Propheta vel quicumque voluerit: Sin verò à Romanis nos non liberet, sed cum aliis Pseudo-Messis trucidetur, habeat sibi, nos facile pro excusatione dicemus, in eum nec genus nec patri-

*Messias corde venit.*

*Blandienti non fidamus.*



patriam nec parentes Messiz quadrare. Ita: quoties hodieque voces illz audiuntur: *Tu es Elias, tu es Propheta, tu es vir magnæ autoritatis & prudentia, aude aliquid, si vis esse aliquid, &c.* Sed tales blanditiæ mundi sunt decipulæ, ideoque cum inimicus submiserit vocem, ne credideris ei, quoniam saprem nequitia in corde illius, Prov. 26. v. 24. *ex multa loquela tentat te, & subridens interrogat de absconditis tuis, cave tibi & attende diligenter auditui tuo, Syr. 13. v. 12.* Ita Davidi: *Eccæ, places Regi, & omnes servi ejus diligunt te, nunc ergo gener esto regis, 1. Sam. 18. v. 22. amico itaque laudanti ne credideris, nec detrahenti inimico, Aug. 1. 3. cont. Petil. c. 10.* ¶ VI. Observentur etiam nugæ Costeri Jesuitæ qui conc. 3. p. 45. hanc quæstionem: *Tu quis es?* accommodat ad cœnæ negotium dicens: *Quando ante venerabile Sacramentum te prostraveris, considera & quære: Quis es tu? quid hoc quod niveo est conspectu? buccellæne panis, ut gustus, tactus ceu quidam Heretici suadent, an verò caro & sanguis Christi? ubi sè Christus respondet: Hoc est corpus meum, tu Deum, Creatorem & Salvatorem tuum adora, &c.* Resp. Si quæras quid in cœna videatur coloris nivei, respondet Paulus panem esse, at benedictum panem, indeque *κρίνοντες* ipsissimi corporis Christi, 1. Cor. 10. v. 16. interim tamen & gustus & tactus docent, panem ibi manere, nec in ipsum Christi corpus transmutari, quod volunt Pontificii. Credimus itaque, mediante pane, verum Christi corpus nobis porrigi, unde etiam in Sacramentali actione Deum, Creatorem & Salvatorem nostrum adoramus, at bucellam panis, cujus saltem accidentia, juxta Papicolarum sententiam, remanserunt, si quis adoret, is *Artolatrian* committit, & contra primum decalogi præceptum gravissime peccat.

*Tu quis es?  
circa cœnati.*

**Confessus est & non negavit.]** *Ὁμολόγησεν*, Beza. *professus* est, sed rectius: *Confessus*, quia *profitemur ultro; Confitemur* autem *rogati*, & variè hæc verba exponuntur. 1. Quidam putant eo tendere, quod Ioannes ita confessus sit, ut tamen sua confessione non negaret Christum, sed potius confiteretur. 2. Alii dicunt confessum esse Baptistam *quid non esset*, & non negasse *quid esset*, ideo glossa ordin. ita habet: *Confessus est: Quod non sit Christus: & non negavit: quod sit Præcursor.* Verum rectius dicitur hæc repetitione depingi. 1. Baptistæ celum, qui non sine indignatione videtur audivisse Iudæorum legationem, ideo tam severe *confessus est & non negavit & confessus est.* 2. Delineatur Ioannis Constantia, qui eadem de infidem respondit semper. 3. Emphatica hæc verborum repetitio vulgaris est Scripturæ, cum primis Ioanni, 2. Reg. 18. v.



*Confessio publi-  
ca fidem comi-  
tatur.*

36. Psal. 40. v. 10. Esa. 38. v. 11. Ioh. 1. v. 3. ¶ Discamus I. necessariò fidem comitari confessionem publicam, quemadmodum hic Baptista confessus est, & non negavit, & ita quidem fieri debet 1. propter Ioannis, Davidis & aliorum Sanctorum exemplum: *Credidi, propterea locutus sum*; Psal. 116. 2. propter mandatum, *luceat lux vestra coram hominibus*, Matth. 5. 3. ob Dei gloriam, *ut glorificetur Pater vester*, ibid. 4. ob pramium, qui enim me confessus fuerit, illum confitebor vicissim, Matth. 10. 5. ob fidei naturam, *ex fructibus enim oris arbor illa agnoscitur*, Matth. 7. 6. ob beatitudinis scopum, *corde enim creditur ad iustitiam, fide fit confessio ad salutem*, Rom. 10. 9. ob proximi commodum, *conversi enim alios convertamus*, Luc. 22. *Et nihil erubescit veritas nisi solummodo abscondi*, Tertull.

*Ita religione nec  
simulandum  
nec dissimulan-  
dum.*

¶ II. Confunduntur hîc omnes flexiloqui, simulatores & dissimulatores in religionis negotio, quo pertinent I. *Elcesai*, qui docuerunt olim, fides si in periculo vel maximè ore negetur, in corde tamen eam retineri; Pertinent huc *Priscillianista*, quorum Symbolum erat: *Iura, per iura, Secretum prodere noli*: pertinet huc *Æquivocatio Iesuitarum*, qui in Colloquio Ratisb. locum I. Petr. 3. v. 15. ita limitabant, 1. *non quovis tempore, sed saltem in persecutione rationem fidei reddendam.* 2. *paratum animum ad reddendam rationem sufficere, si vel maximè reipsa non reddas*, alios de æquívocatione flosculos vide in Gerh. loco de Lege §. 178. pertinent etiam huc *fallacia Calvinianorum*, à quibus non raro audis vocem Iacobi, sed mens & manus sunt Esavi, *Lingua, Luthere, tua est, sed sunt precordia Bezae*, cum primis verò nostro Baptistæ valdè dissimiles sunt illi *Scriptores anonymi*, qui hostiliter sinceram doctrinam oppugnant, vel sine nominibus, vel sub fictitiis nominibus, quales nuper aliquoties ex Marchia Dialogos vidimus, & oblectat se unus ex illis tenebrionibus exemplo Gedeonis, qui noctu altare confregerit, nec suum subscripserit nomen, verum dissimilis causa est in Gedeone & Calvinistarum vespertilionibus, quod Gedeon fecit, per infirmitatem ex TIMORE fecit v. 27. unde imitari ejus factum non debemus: Calviniani autem faciunt *ex malitia & petulantia*, ut nimirum bonorum virorum famam eo melius proscindere queant, coram quibus in aprico ne hiscere quidem audent. Fugiamus itaq; illos, *qui loquuntur verba complicata, similia aulis, quorum color non conspicitur nisi extendantur*, sicut Themistocles ad Persarum regem de quibusdam dixit. *Sint nostra verba, Ita, ita, non, non.* Matth. 5.

Crede



*Crede mihi bonus est, cui mens est consona verbis,*

*Crede mihi malus est, cui mens est dissona verbis,*

*Omne genus pestis superat mens dissona verbis.*

**Non sum Christus.** ] Ne quis putet Iudæos in quæstione:

*quis es tu* quæsilivisse de Baptistæ vel origine, vel familiâ, vel nomine, ideo Ioannes exactè respondet de officio & dignitate: *Non sum Christus*, ubi in Græco notanda est conjunctio: ὄν, quæ planè videtur quædam indignationis alicujus nota esse, innuens Baptistam non sine reprehensione & dolore hos Legatos audivisse, ideo Mesiæ titulum severiter repudiavit & cum stomacho dicit: **QUOD EGO non sum Christus, scitote** scilicet vel **SCIATIS, Mesiæ honorem falsò mihi defertis, non sum is, non agnosco hoc nomen, & male me habet, aliquos eam de me opinionem concepisse, ideo ista missa facite, & quod non sim Christus planè scitote.** Verùm cur Baptista Christi honores ultro sibi oblatos noluit arripere? 1. quia Ioannes probè nōrat vocem sui Domini, dicentis: *Ego Dominus, hoc est nomen meum, Honorem meum alteri non dabo*, Esa. 42. v. 8. 2. quia Christi vox derivatur, aliis quidem à *χρῆστος* (Iust. Mart. Apol. 2. p. 42.) & sic Christus idem esset quod *utilis, bonus*: aliis autem à *χρῆμα* & sic Christus est *unctus* noster **REX, SACERDOS & PROPHETA**, nihil horum sibi competere Baptista notat, non prius, quia *nemo Bonus nisi solus Deus*, Marc. 10. non posterius, quia illa omnia Domino suo à Prophetis erant assignata. 3. Mesiæ erat *delere peccatum, expiare iniquitatem & reducere justitiam sempiternam*, Dan. 9. v. 24. Mesiæ erat *conterere caput serpentis, vincere mortem, superare Dæmonem, destruere infernum*, Ose. 13. v. 14. quæ omnia cum non hominis peccatoris, sed Dei vivi opera essent, ideo Ioannes Mesiæ honores affectare noluit. ¶ Valdè autem arridet Sacco nostro hoc Baptistæ responsum, ideo dicit: **Dis! Non ego sum CHRISTUS, solt man mit grossen Buchstaben an alle Klöster / Stiff / Kirchen vnd Altar malen / sün te mal alle Heiligen / so man sie anbetet, mit Johanne abwehren / vnd sagen: Non sum Christus.** Et profectò hac voce qui non confutari hæretici possunt? Si dicat Turca, in extremo iudicio fore iudicem suum Mahometen, quid aliud responderi posset quàm: *Mahometh non est Christus?* Si Monachi Franciscani mentiantur suum Franciscum esse *Iesum Typicum*, unde Venetiis in Templo S. Marci imagini Apost. Pauli, adjuncta est imago Francisci, cum hac descriptione: *Per istum (Paulum) itur ad Christum: sed longè facilius per istum (Franciscum) quid aliud hic responderi*

*Non sum Christus multos egregiè confutat.*



M. *Mediatrix.*  
 A. *Auxiliatrix.*  
 R. *Redemtrix.*  
 I. *Illuminatrix.*  
 A. *Advoca-  
 trix.*

*Sobriè Christiani  
 sapiant.*

deri posset, quàm : *Franciscus non est Christus* : Si quis adoret Mariam, eamq; juxta sui nominis literas dicat : *Mediatricem, Auxiliatricem, Redemtricem, Illuminatricem, Advocatricem*, quid aliud respondebis, quàm illud Epiphani: *Reverà sanctum er at corpus Maria, sed non Deus ( sed non Christus ) reverà virgo fuit honorata, sed non ad adorandum data, ergò Maria honoretur, Pater, Filius & Spiritus S. adorentur* : Si Pontifex à Parasitis suis acclamari sibi sinat : *Fu Princeps es Episcoporum, & heres Apostolorum, potestate Petrus, unctiōne CHRISTUS, &c.* Iohan. de Turrecremata, quid aliud responderi possit, quàm : *Papa non est Christus, sed AntiChristus* : Si quis dicat hominem salvari per opera, quid aliud respondebimus, quàm cum Luthero ex Postil. Dom. Ien. p. 676. *Equidem bona opera facienda sunt, verùm bona opera non sunt IESUS, non sunt CHRISTUS, à morte non liberant* : Sic ex Calvinianis; si Pierius VVitteberga in Cathedra publicè dixit : quemadmodum ipse suo corpore non posset esse & in suggestu & ante aram simul & semel : Sic & Christum suo corpore simul, & in cælo & in cœna esse non posse; quid aliud respondebimus quàm hoc : *Pierius non est Christus, Pierii corpus nec à Spiritu S. conceptum, nec ex virgine natum, nec æterno Deo personaliter unitum est, idcò demus Christum suo corpore aliquid posse, quod investigare & imitari nos non possumus, &c.* ¶ Discamus præterea sobriè Christianis sapiendum & sentiendum esse, juxta mensuram donorum, Rom. 12. v. 3. Poterat Ioannes ad tempus Messia titulo uti, sed noluit : poterat Daniel ut futurorum prædictor certissimus superbire, sed Deo vaticinii donum adscribit, Dan. 2. v. 28. Poterant ex Apostolis honorari, Paulus quidem ut Iupiter, Apollo verò ut Mercurius, sed scissis etiam vestibus hos honores repudiant, Act. 14. v. 14. ideoq; metiatur unusquisq; suo se modulo, *altiora te ne quaesieris*, Syr. 3. v. 2. *quiete tua facias*, I. Thess. 4. v. 11. *non alta sapiens, sed humilibus obsecundans*, Rom. 12. v. 16. utinam hoc observasset Mahometes, nunquam Prophetæ affectasset honores ! utinam observasset Papa, nunquam passus esset dici, *se unum cum Christo consistorium habere* : utinam observasset Carolostadius, nunquam Lutheri dixisset æmulus : *Ego magni fieri cupio !* Utinam observasset ille, de quo Saccus noster refert, quod dixerit : *Wenn Ich auff der Sangel stehe / so bin ich Gott / Papst / Keyser / vnd frage nach Die- mandt / &c.*

Et tu Elias? ¶ Monebant tempore Messiam adesse, prædixerat autem Malach. c. 4. v. 5. ante diem Domini venturum Eljam, ubi licet

Pro-



Propheta egerat de excellenti Doctore, in Spiritu & virtute Eliæ rediturum, idq; ipso Christo interprete, Matth. 11. v. 14. & 17. v. 12. & Luc. 1. v. 17. Judæi tamen, ut carnalis erant populus, ita etiam putabant, rediturum carnalem illum Eliam Thesbiten, qui annis abhinc 759. curru igneo cælum ascenderat, hunc sperabant (1.) vel in proprio corpore, ita, *Das Elias mit seinem feurigen Wagen für dem Herrn Messia in aller Welt herrollete / vnd bezwünge die Heyden mit Feuer vom Himmel / da mit Messias ohne einige Mühe einziehen / vnd die Huldigung annehmen möchte / unde hodieq; Iudæi Eliæ adventum & præsentiam credunt, quoties quidem vel cibum sumunt, Buxt. Syn. c. 7. p. 208. vel quoties Pascha celebrant, idem c. 13. p. 335. vel quoties parvulos circumcidunt, tunc Eliæ propria ponitur Sella, & clamant omnes: Baruch habba, benedictus qui venit, scribitur autem Habba tribus literis, נ. ב. ה. hoc ita interpretantur cabalisticè: ה. Hinne, ב. Ba. נ. Eliahu, Ecce Elias venit, Buxtorff. Syn. c. 2. p. 53. vel (2.) putabant Iudæi rediturum Eliam *mutato domicilio* atq; sic in alio quopiam corpore, per *παλιςφυσίαν* vel *μετεμψύχωσι*, Pythagoricam, licet enim notum esset Ioannem Zachariæ filium esse, poterat tamen Eliæ anima in ipsum immigrasse, quam opinionem quod Iudæi etiam receperint, hoc constat non modo ex Sermone Herodis, Marc. 6. v. 14. & discipulorum, Matth. 16. v. 14. Sed & ex R. Elia Levita, qui in suo Thesbite & quidem in dictione Ghilgal dicit, Iudæos statuisse animam Adami migrasse in Davidem, indeq; in Messiam eam migraturam. Hæc itaq; Iudæorum mens est: *Bene habet, Messia titulum publice respuit, id quod illibenter admittimus, sed fortè es Elias, cui post Messiam, proximus honoris gradus debetur.* ¶ Occurrit hîc illa Pontificiorum judaizantium opinio: *an Elias unà cum Enocho ante Christi adventum sit rediturus, & AntiChristo sese oppositurus?* Pontificii ita putant, & quidem ex dictis Mal. 4. Syr. 48. Apocal. 11. v. 1. cum primis verò Matth. 17. v. 11. ubi dicit Bell. l. 3. de Pontif. Rom. c. 6. in initio Christum loqui in præterito: *Venit Elias, quia Baptista jam tum in Spiritu & virtute Eliæ venerat, postea verò ipsam loqui in futuro: Venturus est, quia Eliam ante Christi ultimum adventum, in persona rediturum, quod cum nondum factum sit, etiam AntiChristum nondum venisse: imo in explicatione hod. Evang. Costerus dicit; Iudæos tantum confundere tempus, & intelligere Malachiæ vaticinium de Adventu Christi primo, cum tamen Propheta locutus sit, de Adventu Domini secundo, quod videlicet tunc Elias esset rediturus. Verùm,**

*Judæi Eliæ adventum & præsentiam aliquoties credunt.*

*Baruch habba.*

*An Elias & Enoch ante Christi adventum redituri.*



ut ad dicta superius posita brevissimè respondeatur, dicimus 1. *Syraciden* Scriptorem esse Apocryphum, cujus autoritate non magnoperè movemur. 2. *Malachiam* ex ipsius Christi interpretatione loqui de *Ioanne*, Matth. II. v. 14. 17. v. 13. 3. in Apoc. c. II. non agi de duobus individuis, sed per duos ibi prædici *Doctorem Syncerorum paucitatem*, quemadmodum Elias & Micha pauci erant respectu Pseudoprophetarum. 4. Matth. 17. CHRISTUS loquitur, initio quidem de *prophetia complenda* (unde etiam cum Propheta in futuro loquitur) postea vero de *prophetia in Ioanne completa*, ideo dicit Eliam jam venisse, ubi ipsi Apostoli Baptistam notari statim intelligebant, Mtth. 17. v. 13. in æternum itaq; Pontificii probare non possunt, Eliam Thesbiten rediturum, dicunt enim Eliam oppugnaturum AntiChristum, & adventurum extremum iudicium diebus 45. post AntiChristi mortem, vel ut *Scoppius* numerat exactius, diebus ab adventu AntiChristi 1335. Ergo si Elias nondum venit, neque AntiChristus venit, nec mundi finis ante horum adventum expectari potest, quem tamen imminere jam jam scriptura asserit: Porro, quando Elias venit, AntiChristus etiam aderit & diebus ab eius adventu 1335. aderit mundi finis, Ergo ultimus dies nobis notissimus esse potest, cum tamen Scriptura & cum eà Patres dicant, *ideò hunc latere unum diem, ut Omnis dies observetur.*

Non sum.] Brevitas responsionis indignationis nota est, hinc alto pectore dolore Baptistam premit, & moto quasi capite dicit: *Non sum, non sum corpore, licet sim præcursione*, Rud. Ardens, & dicit noster Saccus Baptistam se Eliam negasse, sine ulla aliqua explicatione, *Weil er von Christi Feinden nicht wolte gelobet seyn / vnd achtet sie deutlicher Erklärung unwürdig.* ¶ Quæri hîc posset: *an de Luthero nostro rectè dicatur ipsum tertium esse Eliam?* Pontificii dicunt, si Baptistam Eliæ honorem non admisit, licet inter natos mulierum maximus, utique Lutheranos etiam cordatos hunc titulum Luthero non debere concedere, sed si qui sint clamantes Lutherum fuisse 1. excecaturum *Monachum*, in eo conferendum *Mosi*. 2. Virum satis diu *prædictum*, in eo similem *BAPTISTÆ*. 3. *Martyrem* incruentum, in eo conferendum *Ioanni Evangelistæ*. 4. excellentem *Scriptura interpretem*, in eo similem *PAULO*. 5. *propugnatorum veritatis* animosissimum, in eo similem *ELIÆ*, atque sic *Tertium Eliam*, talibus meritò resistendum & silentium imponendum esse. Respondemus. Licet hyperbolica bonorum laus vel maximè mihi displiceat, pu-

An Lutherus  
rectè tertius di-  
catur Eliam.

Ita D. Ioan. For-  
sterus b. m. in  
primâ suâ con-  
cionæ apud  
Wittebergenses  
habita.



to tamen *Eliæ titulum* Luthero usque adeo non invidendum 1. quia, ut tempore Achabi Ecclesia externum suum nitorem ferè amiserat, unde Elias se solum superesse putabat. Ita etiam Lutheri tempore Ecclesiæ externa facies vix & ne vix quidem apparuit, licet Dominus suos probè norat. 2. ut Elias in deserto vivebat, ita Lutherus in Monasterio satis duriter ad tempus vixit. 3. ut Elias regi non parcebat, licet id Pseudo-prophetæ facerent, ita Lutherus, postpositis Romanæ curiæ Parasitis, Pontifici adulari non poterat. 4. Ut Elias solus multis sese Baalitis masculè opposuit: ita solus Lutherus *vir sine vi ferri, vi verbi & inermibus armis* omnes monachorum omnium classes animosè est aggressus. 5. quas non ærumnas & perlecutiones ob veritatem Lutherus cum Elia, est expertus? 6. ut Elias, sic certè Lutherus mirabiliter à Deo tutatus & conservatus est. 7. Elias igne cœlesti hostes terruit & vicit: Sic ex Lutheri ore ignis verbi & preum verè exiit, & Adversarios fermè non devoravit: hæ sunt primariæ causæ, cur quandoque Lutherus tertius Elias dicatur, nec erronea putamus illa Cantici Ecclesiastici verba: *Elias sicut dem Jüngsten Tag / Sol wieder kommen auff Erden / Das er der bösen Welt absag / Wie der Hexen kommen werde / Aber der theure Gottes Mann / [Lutherus] Hat sich schon sehen vnd hören lahn / Drum ist der Tag nicht ferne.* Quod autem quidam ex nostris etiam (*Ioan. Fürst. in conc. V Vitteb. 1. de Luth. habitâ*) urgent dictum Matth. 17. & putant Christum ibi *per præteritum* intelligere Baptistam, *per futurum* autem Lutherum, rationem non video, quia antea dixi, Christum ibi initio loqui ut Propheta Malachias erat locutus, postmodum verò explicationis gratia ipsum addere, *Eliam* h. e. *Ioannem* venisse, præterea in græco est: *ἐγγενεύει, Elias venit*, & si maximè *Venturus* dixisset Servator, annon etiam Messias à Joanne in carcerato *Venturus* dicebatur, cum tamen jam advenisset, & in medio staret? Matth. 11.

[Esne Propheta.] Quidam (1.) hic urgent articulum *ἄγνωστον*: ὁ, & putant hos legatos jam percontatos esse, an Joannes esset magnus ille Propheta promissus Deut. 18. v. 15. & Messiam ibi intelligi testantur, Petrus, Act. 3. v. 22. & Stephanus, Act. 7. v. 33. ubi quidem *Aretius* dicit, hoc ideò credible non esse, cum antea de Messia quæserint, & gravitatem Legationis non ferre, ut de una eademque re bis quæretur; Verum dici posset Judæos ita quæsisse *1. ex ignorantia*, cum non distinguant inter Servum & Dominum, *Es wissen diese deut nicht wie sie*

*Conferitur Lutherum cum Elia.*

*Qualem Iudæi Prophetam in Joanne quæserint.*



dran seyn / wer Christus oder der grosse Prophet / wer Koch oder Keller /  
 wer Bischoff oder Bader sey / Gall. 2. *Ex malitia, ut Baptistam in Sermone*  
 caperent: Si enim Joannes dixisset: *Sum ille Propheta*, subsumfissent illi:  
*Es ergo Messias, id quod antea negasti, & profecto parum fundatus videris, qui*  
*inter Messiam & magnum illum Prophetam distinguis. (2.)* D. Thomas in  
 Joh. per Prophetam hic intelligit *Elisam*; Cum enim Joannes in Ior-  
 dane baptizaret, & verò Elisa similiter Naëmano dixisset, ut Iordani  
 septies immergeretur, idè Iudæos putasse fortè Ioannem *Elisam* es-  
 se, sed rectius (3.) videtur sentire *D. Lyser. in Harm.* qui putat ejusmodi  
 Prophetam Iudæos in Ioanne quæsisse, qui non modò Doctor, sed &  
*Politicus* simul *Gubernator* esset, Romanorum hostis & debellator: Sic  
 erat *Esaias* Propheta, sed talis, qui precibus suis fugabat Sennacheribum  
 Assyriæ Regem, *Esa* 38. v. 6. Sic *Ieremias* Propheta erat, sed talis, cui dice-  
 batur: *mittam te, ut evellas & destruas, & plantes regna*, *Ierem.* 1. v. 10. Sic  
*Moses* Propheta erat, sed talis, qui *Pharaonem* cum omni exercitu suffo-  
 cabat, *Exod.* 14. Sic *Samuel* Propheta erat, sed talis, qui Saulem regno  
 privabat & *Agag* regem trucidabat, *1. Sam.* 15. v. 23. & 33. talem itaque  
 Prophetam Iudæi libenter haberent, der ihnen wiederumb einen from-  
 men David schaffte / vnd den Römischen Saul zum Landt außjüge. Ve-  
 rùm, licet Ioannes Propheta *Altissimi & plus quam Propheta* erat, *Luc.* 1.  
*Matth.* 11. talis tamen, Propheta non erat, ideo respondet: *Non sum*  
*Christus*: secundà duobus saltem: *Non sum*: Iam tertiam verbulo saltem  
 unico: *Non*, Ist denn ein Wort nicht so gut als tausent / ihst hõrts wol /  
 Nein istts / es sol wol nein bleiben / last mich nur stracks mit ruhe. ¶ Quæ-  
 ritur hic an Lutherus fuerit superbus & jactabundus? Iesuita *Bartschius*  
 putat, ideo dicit *Conc. contr.* T. 1. p. 341. *Quod Ioannes diffusetur cum jactare*  
*poterat, hoc Lutherus affectat, licet nunquam fuerit, dicit enim in Convivialibus,*  
*se Esaiam esse & Philippum Ieremiam, Item: etiam si me Evangelistam Dei gra-*  
*tia nominarem, citius essem ostensurus me hoc jure facere, quam vestrum aliqui*  
*titulo Episcopi satisfaciunt, non me & doctrinam meam iudicio angeli subicere*  
*dignor, &c.* *Resp.* 1. Lutherus ita nunquam locutus fuisset, nisi calumniis  
 obrectatorum adactus, id quod apertè patet ex mentione *PseudoEpi-*  
*scoporum.* Pontificiorum, ut ergò Paulus, *2. Cor.* 12. v. 11. dicit se in glo-  
 riando factum esse *insipientem* & à Pseudo Apostolis *coactum*, ut gloria-  
 retur de muneris sui dignitate & doctrinæ puritate; Sic etiam Luthe-  
 rus ab

*Brevia Baptista  
 responsio.*

*Lutherus non  
 fuit jactabun-  
 dus.*



rus ab hostibus suis impudentissimis adactus est, ut multa dixerit, quæ aliàs non dixisset. 2. Certum est Lutherum fuisse locutum *comparatè*; cum enim fratres illi ignorantix, qui Papatui malè præerant, se nominarent superciliosè satis, & *Episcopos*, & *Doctores eximios* & *Magistros Nostros* & *Legatos Apostolicos* &c. cur non Lutherus multò magis talem se nominaret & cum Apostolo diceret, 1. Cor. 11. v. 22. *Doctores sunt? Et Ego: Magistri sunt? & Ego: Episcopi sunt? & Ego: Apostolici legati sunt? & Ego: (Inspiciens loquor) Superior sum ego, dicere me Evangelistam possem, eo scilicet sensu, quo omnes fideles Ecclesiæ Doctores Evangelistæ dicuntur, 2. Tim. 4. v. 5. nec meam doctrinam iudicio Angeli submitterem, quia hoc Paulus prohibet de sua doctrina atque sic etiam de Lutheri, quæ cum Paulina eadem est, Gal. 1. v. 8. 3. Modestia & humilitas Lutheri ex eo satis liquet, quod addit Evangelistam se dici posse, *DEI GRATIA*, quæ vox etiam Pauli est dicentis: *Dei gratiã sum, quicquid sum, & quia illa gratia in me frustanea non fuit, hinc plus quam alii laboravi, 1. Cor. 15. v. 10. imò (ut dicamus quod res est) Lutherus multoties cum Baptista modestissimè dixit: NON SUM PROPHETA, Tom. germ. 1. p. 401. habes hæc verba: Ich sage nicht / daß ich ein Prophet sey / imò in sequentibus dicit Lutherus, se non Prophetam sed Propheticam saltem Asinam esse, ex qua Spiritus Domini loquatur. Sic in Præfatione suorum operum ad pedes usque Prophetarum se demittit dicens: Wir müssen die Propheten vñnd Apostel lassen auff den Pulst sitzen / vñnd hienieden zu ihren Füßen bleiben. Et in tractatu de ultimis Davidis verbis expressè dicit, se *Prophetarum Discipulum* esse & *Catechumenon*, qui concionetur & profiteatur ea, quæ à Prophetis didicerit. Vid. *Dom. Latare* sub finem, ubi indicatum, quomodo ministerium Lutheri à Prophetarum ministerio differat.**

Quis ergo es? quid dicis de teipso? ] Hic legati exutã Vulpinã induunt Leoninam, non sine stomacho dicentes: Tu aliquoties respondisti TE non esse Christum, non esse Eliam, non esse Prophetam, at non queritur jam quid NON sis, sed potius QUID sis, qui divinando hoc assequi possumus? attulimus hactenus pias conjecturas, & quantum quidem valemus, te extollere volumus, & profectò Messias esse si posses, quæ majestas! Elias esse si posses, quæ sanctitas! Prophetæ esse si posses, quæ dignitas! verum ut videmus, in Dohsen gehöret Heyd / fungus es, humi semper repis, ad majora non natus, interim tamen Ecclesiæ curam ad eos pertinere qui nos miserunt scito, respondeas ergò, vel ut Schismaticus condemnabere. Ubi notandum eadem planè verba objecta



*Satanas tentat à dextris & sinistris.*  
 & Christo, Ioh. 8. v. 53. quem facis teipsum? & Ioanni hinc: quem dicis teipsum, quia utrobique eodem spiritu reguntur. ¶ Discamus Satanam verè tentare homines & à dextris, & à sinistris, à dextris tentatur Baptista variis adulationibus, à sinistris verò severis comminationibus, quoties hoc obtingit illis, quos vel Pontifex vel Calvinus in suam nassam libenter pertraheret. Oremus itaque: *Tentationem ne seras, si fors malignus Satanus, capret sinistrè dexterè - da fortiter resistere, &c. Sühr vns HERR in Versuchung nicht.*

*Cur Baptista ex scripturis responderit.*

*Vox clamantis.*

Ego sum vox clamantis. ] Non respondet Baptista: Ego sum homo; Ego sum Ioannes; ego sum Zacharia filius; sed Vox sum clamantis, quia dona gratiæ donis & bonis naturæ multo præstantiora sunt, extollit itaque se Baptista ab eo, quod erat ex Natura, ad id quod erat ex gratia, Rud. Ard. & quidem ex scripturis respondet ob sequentes à Chemnitio in Harm. allegatas causas, 1. ne propriâ autoritate sibi id quod erat arrogare videretur. 2. ut suam vocationem non propriis sed S.S. verbis probaret, 700. enim abhinc annis Esaia 40. v. 6. dictum erat: *Vox dicebat clama, & dixi quid clamabo?* 3. ut innueret suum non esse sacrificare, multo minus politica tractare, sed Messiaæ viam parare. 4. Ut simul probaret Messiaæ præsentia. Videamus ipsa vaticinii verba. I. Baptista se vocem clamantis dicit, at quo sensu? Nonnulli (1.) hinc subintelligunt Vox clamantis scil. CHRISTI vel DEI, & ita notari, DEUM vel CHRISTUM per Baptistam clamare, unde Rudolph. Ardensis ita exponit: *Ego sum organum ex me loquentis Dei, profero qua dicuntur quidem PER ME, sed non ex ME, & probat porro hinc Joannem esse similem CHRISTO, qui similiter dicat, doctrina mea non est mea, sed ejus qui misit me Patris, Joh. 7. & Apostolis, de quibus dicitur Non estis vos, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, Matt. 10. & Paulo qui dicit: Deus per nos exhortatur, 2. Cor. 5. v. 20. ubi perstringit illos, qui putant se aliquid vel esse vel posse ex se dicentes: Labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? Psal. 11. Nonnulli (2.) subintelligunt hinc (clamantis) scil. VIRI vel DOCTORIS, unde Luth. in Germ. versione, Esa. 40. v. 1. *Es ist eine Stimm. me eines Predigers in der Wüsten.* Alii (3.) putant hic per Meton. effecti pro causâ dici: Vox clamantis h. e. Vox clamans, vel Concionator clamans, quæ phrasis Hebræis usitata: *Vas electionis* h. e. electum, Act. 9. v. 15. *Vir ingenii* h. e. ingeniosus, Esa. 8. v. 18. *Vir sanguinem* h. e. sanguinolentus, Psal. 5. v. 7. Alii (4.) statuunt Joannem dici clamantem, ob diuturnum Prophetarum silentium, siquidem Judæi, post Zachariam & Malachiam Prophetas non habuerant, *sub lege omnes humiliter sonabant & submisse, unde in Mose vocis**



vocis raucedo & ruditas, Exod. 4. Ioannes autem clamabat, h. e. veritatem manifeste annunciabat, Theophylact. II. Dicit Ioannes se clamare: *in deserto*, quæritur hic (1.) quale intelligatur desertum? *Lyra in 35. Esaiã* intelligit per hoc desertum *secundum templum*, quod desertum fuerit & vacuum à quinque rebus, quibus primum templum illustre fuerat, sed hæc sententia subsistere non potest, cum Baptista in secundo templo nunquam prædicarit. *August. Serm. de Baptistã* per desertum intelligit *Gentilium populum*, cum *vacua timore Dei pectora & Spiritu S. carentia, deserto comparentur*: Sed res plana est, Ios. 18. v. 17. fit mentio arcis *Adunem*, quæ sita fuit in deserto, inter Ierusalem & Iericho versus ortum, circumdata pulcherrimis Engaddi hortis, habitarunt juxta hanc arcem *Essæi*, ut Medici excellentes, à quibus quemadmodum Baptista educatus fuit, ita etiam tempore Ministerii sui, non procul ab arce *Adunim* prædicavit, imò in *Bethabara*, quæ ab arce *Adunim* vix ad milliare distabat, ibi suum *Johannes Baptistarium* habuit, & putat *Dn. Matheus* hac occasione multos *Essæorum* à Baptista fuisse conversos, id quod credibile, siquidem & *Pharisæi* & *Sadducæi* acerbissimè Christo, sese opposuerunt, quod tamen de *Essæis* nullibi legimus. Hoc itaque illud desertum fuit in quo *Johannes* prædicavit, nempe inter *Jericho* & *Ierusalem* propè arcem *Adunim*, quæ tribus *Hierosolyma* milliaribus distabat, & dicitur ibi *Johannes* in quadam spelunca educatus, *Bünting. part. 2. Itin. pag. 7.* Quæritur (2.) cur *Baptista* prædicarit *in deserto* & non in templo? filii erat patrissare, jam verò *Johannes* filius erat *Zachariæ* sacerdotis, qui in templo orabat, sacrificabat, thymiamata incendebat, cur *Johannes* non fecit idem? Resp. 1. *Studenti*, meditati, oranti, &c. nihil magis arridet, quam locus aliquis *solitarius*, & ab hominum strepitu remotus, iam verò *Johannes* totum vitæ suæ tempus impendere debebat studiis, meditationibus, orationibus, ideo illi *Deus*, per *Esaiã* annis 750. ante suam nativitatem, de tranquillo aliquo *Muséo* prospexit, in hortis *Engaddi*, ubi olim & *Elias* & *Elisæus*, suas etiam scholas habuerant, *sacra enim exercitia silentium amant*, sicut & *Christus* vel montes, vel naviculam, vel etiam desertum adiit oraturus: *Matth. 5. Luc. 4. Ioh. 6. 11.* *Johannes* *in Eremito* & non in templo prædicare debuit, ut discrimen *V. & N. T.* hoc pacto patefieret. In *V. T.* *Ecclesia* alligata erat urbi & templo *Hierosolymitano*, cum *Deus* notus esset in *Iuda* & nomen ipsius celebre in *Israel*, in *Salem* habebat *Tabernaculum suum*, &c. *Plal. 76. Ecclesia*

*In deserto.*

*Cur Ioannes in deserto sit con-  
cionatus.*



ellesia autem N.T. quia nec certo populo, nec certæ regioni, nec certæ  
 Urbi alligari debebat, ideo Ioannes primus N. T. concionator prædi-  
 care incipit, & extra urbem, & extra templum & extra synagogas Iudaorum  
 in deserto, eo innuens, Evangelii doctrinam esse Catholicam, quæ dein-  
 ceptis annuciari debeat non tantum Iudæis, sed & gentibus, imo omni  
 creaturæ sub sole, Col. 1. v. 23. Tandem III. in deserto prædicare debuit  
 Ioannes propter Dominum & Magistrum suum Christum, de quo prædictum  
 erat, quod venire deberet ad templum s. suum, illudq; gloriosus sua reddere præ-  
 senti à quàm primum fuisset templum, Malach. 3. Hag. 2. si itaq; officina Messia  
 esse debuit templum, eo Ioannes uti noluit; Weil Christus der grosser  
 Dom. vnd Tempel. Herr sein sollte / als hat Ioannes daran sich nicht ver-  
 greiffen wollen / sed manet ille juxta vocationem suam in deserto, quia  
 unusquisque ut vocatus est, ita ambulet, 1. Cor. 7. v. 17. ¶ Discamus hic I.  
 quid muneris incumbat omnibus Ecclesiæ ministris, nimirum hoc:  
 Ut sint Voces clamantes: & quidem in deserto clamantes: equidem Papa  
 Romanus ejusque creaturæ, Christi vicarii & Apostolorum successo-  
 res esse volunt, sed ubi manet vox clamantis? quando aliquis, vel Ponti-  
 fex, vel Episcopus, vel Cardinalis concionatur? in otio vivunt, in deli-  
 tiis suis degulant præbendas, & si quæ ab illis vox auditur, ea non cla-  
 mantis vel concionantis, sed Missificantis est, indeque Prædicatores Ev-  
 angelicos per contemptum vocant: Clamanten/Schreyer/vnd Syeyer/  
 &c. Verùm clamare nostri est officii, Clama ne cesses, Esa. 58. v. 1. Sic Joannes  
 clamavit per dies quadraginta integros dicens: Ecce agnus Dei, Ioh. 1.  
 v. 29. ita Christus aliquoties clamasse dicitur, Luc. 8. v. 8. Ioh. 7. v. 28. &  
 37. ita clamat angelus apocalypticus, Apoc. 14. v. 8. ita Hugo de claustro  
 tres esse dicit pastoris voces, suavem, dulcem & altam, suavis ad infirmum,  
 dulcis ad morientem, alta ad surdum dirigenda: & profecto si alicui accla-  
 mandum, ille vel surdus est, vel dormit, vel in quodam versatur strepitu,  
 vel procul à nobis est remotus: verè immundi hujus mundi hæc condi-  
 tio est, multi aures suas obturant, sicut aspis surda, Psal. 58. v. 5. multi  
 peccati Lethargo graviter decumbunt, Rom. 13. v. 11. multi, ob strepi-  
 tum rerum mundanarum nimium, non audiunt vocem, ad cœnam  
 magnam ipsos invitantium, Luc. 14. imò quàm procul absunt impii à  
 Deo, Esa. 49. hinc acclamandum & quidem fortiter acclamandum  
 ipsis est, va canibus mutis, Esa. 56. v. 10. si nos tacuerimus, vel lapides clamabunt  
 Luc. 9. v. 40. clamemus itaque & quidem in DESERTO clamemus, deser-  
 tum

Simus & nos vo-  
 ces clamantes.

Quibus accla-  
 mandam.



tum est *cor hominis pravis opinionibus imbutum*, imo desertum est *animus consolatione indigens*, indeque clamore valido confirmandus & erigendus.

¶ II. Discamus non statim, ut Schismaticos, damnandos esse illos, qui à vulgari errore faciunt discessum: Hierosolyma enim, licet olim fuerit & officina agnitionis divinae, & schola verae religionis, & Bibliotheca scripturae, divinitus revelatae, & hospitium futuri Messiae, hanc tamen puritatem ubi amiserat, rectè Ioannes, ab ea discessum facit, relinquit templum, negligit circumcisionem, adeoq; novam introducit religionem: pari modo, Ecclesiam Romanam fuisse aliquando veram Ecclesiam fatemur, & quidem tunc, cum Paulus dixit *Romanorum fidem in universo mundo praedicari*, Rom. 1. Sed hanc puritatem, postquam Romana Ecclesia amisit, & in ipsissimi Antichristi degeneravit Synagogam, rectè fecit Lutherus noster, quod ante annos 105, ab ea secessum similiter fecit, quod papam neglexit, quod Romanam sedem contempsit, illique adhæsit religioni, quam ex verbo Dei novit salvificam. Pontificios hoc malè habet, ideo nonnulli planè negant, Ioannem vel ceremonias immutasse, vel secessionem à templo fecisse, *sed hæc omnia à Nostris fingi, ut Lutheri & reliquorum ministrorum apostasia, Ioannis exemplo excusetur, &c.* Bartschius, Tom. 1. pag. 265. Alii dicunt Ioannem à Iudaica Ecclesia rectè fecisse discessum, cum manifestum satis fuerit synagogam Pharisæicam à vera religione defecisse, nobis autem *adhuc probandum esse, quando suam antiquam fidem Roma perdidit? quando esse deserit, quod ante fuit? quo tempore, quo pontifice, quâ viâ, quâ vi, quibus incrementis urbem & orbem Religio pervaserit aliena?* Edmund. Campian. rad. 7. Sed Bartschius respondemus, si quis negat recessisse Ioannem ab Ordinaria *πίστις* Iudæorum, doctrina, cultu, ceremoniis & templo, nihilq; cum sacrificiis ipsum commune habuisse, atq; novum Baptismi introduxisse Sacramentum, hoc, inquam, qui negat, is hodierno Evangelio atq; sic Spiritui S. manifestè in os contradicit, ut supra luculentissimè demonstravimus. Campiano respondeamus, si quis dubitat Romanam Ecclesiam, æquè ac Iudaicam, veram amisisse religionem, ille etiam dubitare poterit an sol meridie splendeat, de tempore autem apostasias quod garrir Iesuita, potuissent etiam hodierni Legati dixisse: *Demonstra Ioannes quando Ierusalem antiquam suam fidem amisit? quando esse desuit, quod antea fuit? quâ viâ, quâ vi, quibus incrementis urbem & orbem aliena religio pervaserit?* verum num pili omnes simul canescunt? num domus uno momento minatur ruinam? num

*Non sane Schismatici illi, qui à vulgari discedunt errore.*



dici potest qua vel die vel hora, quis hydropicus factus sit & phthicus? pari modo non simul omnia in Ecclesia Romana eversa sunt, sed paulatim ad sceleris senectutem, morbum & ruinam in ea descensum est, ideo si Romanam Ecclesiam veram amisisse religionem certum est, ut certissimum, de tempore non sumus solitici. Ut itaque Abram deseruit Chaldæam, ut Lothus Sodomam, ut Ioannes Iudæorum Synagogam, ut Christiani Hierosolimam, ita & nos meritò Romanam linquimus Ecclesiam, juxta monitum: *Exite ex ea popule mi*, Apocal. 18. vers. 4.

**Parate viam Domino.** ] Baptista in allegando Esaiæ vaticinio admodum parcus est, cum vix tria verba repetat, eoque innuat nostrarum esse partium, ut Prophetam ipsi evolvamur, & singula excutiamus accuratius. Ita autem habet vaticinium: *parate viam Domino, rectas in planicie facite semitas Dei nostri: Omnis vallis exaltabitur, omnisq; mons & collis humiliabitur, curva fiant recta, & aspera in vias planas.* Notetur hic. I. Confessio Baptistæ, qui dicit: *parate viam, non mihi sed DOMINO*, eo satis perspicuè innuens, se non Dominum, sed servum, se non Sponsum, sed Sponsi amicum, se non mundi lucem, sed Messia saltem lucernam esse. Equidem pontifex Romanus, quoties homines summâ dignitate conspicuos, humiliavit, abjectos verò & contemptos exaltavit, curva non raro recta dixit, & aspera plana, idque eum in finem, ut non Domino, sed sibi ipsi viam parare, suamq; majestatem stabilire posset, quemadmodum hodieq; videas multos viam parare sibi ipsis, alios quidem ad honores, alios ad opes, alios ad alia commoda, nos sternamus viam Domino, cum Baptista dicentes: *Ipsam oportet crescere, me autem minui*, Ioh. 3. v. 30. II. Esaias monet dirigendam esse Domino *semitam*, in Hebr. *Mesilloth*, significat vias lapidibus stratas, ut pedites compendii gratiâ in directum ire possint, nec ullis opus habeant ambagibus: parandus itaque Messia est non aliquis *Labyrinthus*, in quo mox ad Christum, & mox ad Christi matrem, mox ad angelos & mox ad sanctos demortuos deducamur, sed paranda est Christo in cordibus hominum *recta via*, *Grad zu gibt die besten Kenner* sicut etiam Joannes, absq; ullis ambagibus, digito Christum monstravit: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, Joh. 1. III. dicit Esaias *montes esse humiliandos* Messia temporibus, & verè per Ioannem in omnibus Hierarchiis deportati montes sunt. In statu Ecclesiasticoannon tempore Baptistæ reperiebantur passim, *montes variarum haresium*, coacervati opinionibus Phariseorum, Saduceorum, Essæorum, Nazæorum, &c.

Vaticinium  
Esaiæ integrè  
exponitur.

Paranda via  
non nobis sed  
Domino.

Mesilloth.

Montes humiliandi.



&c. Welche Reherberg das sie S. Johannes abgetragen / inerepando Pharisæos & Saducæos ut progeniem viperarum, qui damnationis ignē vix evasuri essent, *hic labor hoc opus fuit*. In statu politico, quos non *scelerum montes* Baptista reperit? Herodes erat vulpes, adulter & incestuosus, Pilatus idololatra, Hannas & Caiphas Epicuræi, Welche Easserberg wenn nochmalen Johannes geschlichtet / quantæ molis erat? imò quanti erat periculi dixisse: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui?* Marc. 6. v. 18. In statu tandem Oeconomico, quot *disfidiorum montes* Johannes æquavit, convertendo patrum corda ad filios & filiorum corda ad patres? Mal. 4. v. 6. Luc. 1. v. 16. IV. dicit Esaias *valles esse exaltandas*, quot enim tempore Baptistæ erant animi, peccatorum sensu perturbati ac pene ad infernum usque depressi, *sedentes in umbra mortis & ambulantes in valle tenebrosa*, Psal. 22. v. 4. at talia pectora efficaci consolatione Johannes replevit, ablegans homines ad Christi plenitudinem inexhaustam, unde *gratiam pro gratia queant desumere*, Ioh. 1. V. dicit Esaias quod *curva & prava rectificari* debeant in Messix adventu, id quod per Baptistæ ministerium verè factum est, Wie vnrichtig stands vmb die Publicanen? Wie vnrichtig vmb die armen Sünder/wie vnrichtig vmb die Römischen Soldaten / welche gleichwol Joannes am Jordan alle zu rechte gebracht hat / Luc. 3. v. 12. & 14. Xerxes quando Græciam adiit, magnis quidem sumtibus via ipsi parata ac strata fuit, Isthmus fluvius suffossus est, aliquot exsiccata sunt flumina, aliquot disrupti & quasi transpositi montes, imò ipsum mare pontibus alicubi fuit stratum: Magna sunt hæc fa-teor, sed longè majora Baptista fecit, ut viam Domino pararet vel ut in Hebr. *expurgaret*, vel ut in Syr. *complanaret ac æquabilem redderet*. Concludit VI. Johannes dicens: *Vt Esaias prædixit*. Bucerus dicit, Esa. 40. PRINCIPALITER & primariò agi de liberatione populi Iudaici ex captivitate Babylonica, Ioannem autem ad suam prædicationem trans-tulisse, sed Bucero opponimus Bullingerum, qui dicit: Esaiæ vaticinium de Ioanne sensu maximè GENUINO ab omnibus Evangelistis concorditer allegari. ¶ Discamus hic I. quomodo hodieque via paranda Domino, nempe sic, ut peccatorum montes humiliemus per CONTRITIONEM, ut de profundis clamemus & valles desperationum exaltemus per FIDEM, ut curva ac prava dirigamus per Nova obedientia bonum propositum, Ein Herz mit Reu vnd Leyd getrencket / ic. per partes pœnitentia facile hæc deduci possunt. ¶ II. Disc. frustra Deum coli hominum

*Valles exaltan-  
da.*

*Curva rectifi-  
canda.*

*Quomodo ho-  
dieq, Domino  
via paranda.*



*Cultus electitii  
Deo non placet*

mandatis, Matth. 15. v. 9. Pontificii contrarium libenter probarent Baptistæ exemplo, qui sine speciali mandato divino in eremo vixerit, vili vestitu utens, ac alimento simplicissimo: sed expressè in nostro textu docet Ioannes proprio motu se in desertum non abiisse, sed factum illud *juxta Esaiæ vaticinium antiquissimum*, simplicem etiam cibum ac potum Ioanni expressè assignarat Angelus dicens: *Vinum & siceram non bibet*, Luc. 1. v. 15. imo additur vers. 17. quod Ioannes venire debeat in spiritu & virtute Eliæ, *vestimenta itaq; Eliæ* probè ipsi conveniebant, &c.

Quid ergò Baptizas. ] malè habet Legatos quod ad Esaiam remittuntur, idè exuta vulpinà Leoninam induunt, & non sine stomacho, dicunt: Num putas te solum prophetas legisse? allegasti jam Esaiam, quem jam dudum consulimus, & tamen minus tibi favemus, agitur quidem, Esa. 40. de voce Clamantis, non autem agitur de aliquo Baptismo, imò de Messia prædixerunt Propheta, quod tempore Adventus sui aqua mundantes sint effundende, Ezech. 36. v. 25. Zach. 13. v. 1. cum itaque tu, ex propria confessione, nec Christus nec Elias nec Prophetas sis, cur Baptizas? Schismaticus es, procul dubio Schismaticus! nobis deinceps non ferendus: quæ verba ut majorem habeant autoritatem, addit Evangelista in parenthesi, Legatos fuisse ex Phariseis, & movit hæc *μαρτυρίας* Orig. in Joh. ut statueret geminam Legationem ad Joannem factam, primam per sacerdotes & Levitas, alteram verò per Phariseos, sed historiarum textus hoc non patitur, additur itaque hos Phariseos fuisse, quia illorum in populo Dei maxima fuit autoritas, undè habent sic in diser Legation obin zweiffel das größte Wort gehabt. ¶ Discamus I. Non rarè pius Ecclesiæ Doctoribus obmurmurari à Legatis Pharisæicis, quid enim sub papatu vulgarius quam tales voces: *Cum vos neque legitime vocati, nec rasi, nec uncti sitis, cur ergò predicatis? cur Sacramenta consecritis?* (ita enim loquuntur mirifici hi Sacramentorum Confectores) imò ipsi non misit cur alios mittitis? quemadmodum meus Adversarius clandestinus, qui se, (nōmine procul dubio ficto) STRIA CUM SIMERETS nuper nominavit, mihi etiam objecit. Audies certè à quodā Castiano & Clichtoveo hæc verba: Vnde venis Martine Luthere? quis misit te? quis tibi mandatum dedit concionandi? ubi sigilla habes & literas quod ab hominibus sis vocatus? ubi sunt miracula quod te Deus miserit? &c. Quæ importunitate si maximè laceffitus fuisset Iohannes, non tamen vel literas in ordinariæ vel miracula in extraordinariæ vocationis testimonium, potuisset ostendere, quia Iohannes signum edidit nullum, omnia autem qua de Christo

*Murmur Legatorum  
Papa & Calvinii.*

*Litera alicujus  
Iesuita 14. Mar.  
Anno. 1618.  
scripta, & meis  
clavis injecta a-  
libus, Feria se-  
cunda Pascha-  
301,*



Christo docebat vera erant, dicitur, Ioh. 10. v. 41. Si itaque Ioannes præco veritatis esse potuit, licet à pontificibus Iudæorum nec vocatus esset, nec miraculum ederet, cur Lutherus non esset? quem tamen mediatè vocatum probè norunt Pontificii. Obvertunt illi, Reformationem Baptistæ in scripturis fuisse prædictam, de Lutero autem & Lutheranis ministris talia non reperiri, Respond. imò reperiuntur in vaticiniis de Antichristo, 2. Thes. 2. v. 8. de angelo per medium cæli volante, Apoc. 14. v. 6. & è Babylone collapsa discessum suadente, Apoc. 18. v. 1. & seqq. Obmurmurant etiam, ad modum horum Legatorum, nostris Ecclesiis Calviniani, quærentes: cum mulieres & alii idiotæ legitimâ vocatione destituantur, cur ergo baptizent propter casum necessitatis? Responsio autem facilis est, quia nullum aliud, præter Baptismum regenerationis medium suppetit, Ioh. 3. v. 5. quia circumcisio, cui Baptismus succedit, à fœmellis etiam peracta, Exod. 4. v. 26. 2. Macc. 6. v. 10. quia mulieres etiam sunt regale sacerdotium, 1. Pet. 2. v. 9. nec in Christo aut mas est aut femina, Gal. 3. v. 28. plura argumenta alibi adducta sunt, Vide meam Catech. c. 27. p. 202. ¶ II. Disc. hîc Hostibus veritatis Evangelicæ nullo modo fidendum, cum initio verbis Cainicis, Sauliticis & Herodianis blandiantur, mox autem (si hac viâ non successerit) stomachentur, fulminent, vibrent, aut S. Antonii ignem, aut S. Francisci funem, aut S. Pauli gladium, expertus hoc Baptista est, cum ipsum, ceu Schismaticum & hæreticum, jam damnent illi, qui antea vel ipsum Messiam libenter Johannem fecissent, expertus idem Abel, Gen. 4. expertus David, 1. Sam. 18. expertus orientales Magi, Matth. 2. expertus apud Lystrenses Paulus, qui hodie ut aliquis Jupiter fermè non adorabatur, paulo autem post lapidabatur, Act. 14. Ab his itaq; Judæ oculis nobis ita caveamus, ut sit serpentinus oculus in corde columbino, Matth. 10. v. 16.

Ego baptizo aquâ. ] Ad verba invidia, respondet Iohannes verba vitæ, inquit Ardentius, & latet in his verbis tacita Antithesis, licet altera huius antitheseos pars non sit expressa: Sensus est: Legati optimi, vani vos estis, an nescitis verbum, & sacramentum coherere? ego non tantum clamo vel prædico, sed etiam baptizo, baptizavi, & baptizabo, quicquid tandem vos dicatis, Vmb erorent willen habe ich zu tauffen nicht angefangen / vmb erorent willen werde ichs auch nicht lassen: Ego aquam aspergo & externum præsto servitium, Christus autem Dominus meus Spiritu S. baptizat, & per meum ministerium suum exercet Magisterium, non itaq; sequitur, qui baptizat, ille est

Gynacobaptismus.

Hostium humanitatem non fidentium.



Baptismus Iohannis & Christi non differunt.

Christus, quia aliud est esse Ministrum & aliud Magistrum, imò differunt baptismus fluminis & baptismus fluminis, ego licet Christus non sim, minister tamen sum Christi, qui Spiritus S. sui efficaciam internam, per ministerium meum externum exerit & declarat. ¶ Observemus hic I. malè statui à pontificiis Christi & Johannis Baptismum planè diversum fuisse. Error iste Petri Lombardi est, qui lib. 4. c. 2. his describitur: *Baptismum Christi Iohannes suo Baptismo prænuñciavit, qui primus baptizasse legitur, sed in aqua, non in spiritu, sola corpora abluebat, à peccatis verò non mundabat, erat baptismus in penitentiam, non in remissionem peccatorum.* Consentiant Lyra & Radulphus Ardens, qui Johannis verba ita formant: *Ego baptizo aqua, id est, sola corpora non animas lavo.* Et ex Stapletono & Costero Melshurerus hos addit flosculos: *Ego baptizo aqua; nihil facio, nisi quod aqua Naturaliter facit. Item: Baptismus meus corporis ablucio est, expers gratia & remissionis peccatorum. Item: Iohannis baptismus fuit infirmus, inefficax & nuda ceremonia, adeoq; toto genere distinctus à Baptismo Christi, utpote qui non conferebat gratiam, non dabat Spiritum S. non tribuebat remissionem peccatorum, sed ad hæc omnia præparabat, sicut totum ejus ministerium præparatorium erat.* Imo Ardens dicit, Johannem baptizasse, 1. ut Christum præcurreret non tantum nascendo & predicando, sed & baptizando, 2. ut populum ad baptismum assuesceret, 3. ut populum ad penitentiam invitaret: Confirmant hæc omnia Bellarm. l. 1. de Bapt. c. 5. 20. 21. ut & Concil. Trident. Sess. 7. de Bapt. can. 1. Philip. etiam Melanth. refert de *Andrea Musculo Francofurtensi doctore*, quod publicatis propositionibus idem docuerit. Sed absurda hæc omnia, quia (1.) Baptismus Joannis non tantum nominatur baptismus à Deo, Joh. 1. v. 33. de cælo, Matth. 21. v. 25. *Consilium Dei*, Luc. 7. v. 30. sed & expressè dicitur baptizasse Joannem in remissionem peccatorum, Marc. 1. v. 4. Ad hæc, quod (2.) Johannes dicit se Aqua baptizare, ex hoc nihil sequitur, quia etiam Apostolorum Baptismus, *Aquæ lavacrum* dicitur, Eph. 5. v. 26. nec tamen ab Apostolorum baptismo Spiritum S. abuisse dicent Pontificii, imò Christi tempore quis alius vigeat Baptismus, quam Joannis? & tamen dicit Christus homines in hoc baptismo regenerari & aquâ & SPIRITU, Joh. 3. v. 5. Tandem (3.) quæ non darentur ἀπὸ τοῦ in hac opinione? sequeretur alio Baptismo Christum (nostrum caput) & alio membra usum, sequeretur Christum suo baptismo nostrum non sanctificasse, sequeretur non esse unum N. T. baptisma, contra Paulum, Ephes. 4. & symb. Nicenum, sequeretur Joannem non fuisse œconomum  
myste-



myfteriorum Dei, *fequeretur* Apoftolos non rectè baptizatos fuiffe, Joannes enim ipfos baptizârat, imò *fequeretur* omnes à Joanne baptizatos reiteraffe baptifmum, id quod *Stapletonus* quidem probare vult ex Act. c. 19. v. 4. verum ibi agitur non de *iterato Baptifmo*, fed baptifmus vocatur efficax *Spiritus S. effufio*, ficut & Chriftus dixit ad difcipulos: Joannes baptizavit aqua, *vos autem baptizabimini Spiritu S.* non post multos dies h. e. in pentecofte, Act. 1. v. 5. Vide Chemn. Concil. Trident. part. 2. p. 62. & feqq. ¶ II. Obſervemus, Piſcatorem Herborn. in Johannem malè commentari his verbis: *In Sacramentis diligenter diſtinguendum eſt inter actionem Miniſtri & actionem Chriſti. Miniſter tantummodò diſpenſat terrenum Elementum, quemadmodum hoc loco ait Ioannes ſe baptizare aquâ, Chriſtus autem per Spiritum S. efficax eſt in cordibus Electorum & intus implet, quod miniſter exterius FIGURAT. ſicut idem Ioannes de Chriſto dicit, ipſum baptizare Spiritu S. Errant igitur, qui putant miniſtros in diſpenſatione Sacra cœne non ſolum panem & vinum, ſed etiam ipſum corpus & ſanguinem Chriſti dare, cum ſolus Chriſtus hæc det, quatenus per Spiritum S. communicantium confirmat fidem, qua fide ſola cibus ille & potus ſpiritualis edi poteſt.* Verum, ut nihil jam dicamus de calviniftica figuratiõne, de voce: *Quatenus*, de communicatione quæ fiat *SOLA fide*, &c. hoc tantum hæc vice dicimus, falſiſſimum eſſe quod externum faltem, in Sacramentis, elementum à Miniſtro diſtribuat, nam (1.) quæ Chriſtus in Sacramentorum inſtitutione conjunxit, ea miniſter diſtribuit, conjunxit autem Chriſtus *rem & terreſtrem & cœleſtem*, Ergò. Sequetur (2.) ex hac ſententia, nudi hominis actionem eſſe divinum Sacramentum, quod falſum, 1. Theſ. 2. v. 13. ubi (3.) manebit Miniſterii efficacia & quomodo illud *Spiritus ſancti Miniſterium* erit, 2. Cor. 3. v. 8. ſunt certè (4.) miniſtri Diſpenſatores, *μυσηλων τῆς θείας*, panis autem & vinum, nuda item aqua ita dici non poſſunt, 1. Cor. 4. v. 1. ¶ III. Obſervemus malè illos agere, qui in baptifmo, loco aquæ, alium ſubſtitui poſſe liquorem putant, Beza volum. 3. p. 196. Greg. de valent. tom. 4. diſp. 4. q. 1. His graviter ſeſe opponit Ioannes dicens: *Ego baptizo AQUA*, aqua dicit, non igne, ut *Hermiani*, non ferro ignito, ut *Iacobitæ Stigmatici*, non oleo ut *Ethiopes*, non arena ut quidam *Judeus*, *Niceph. l. 3. c. 37. nec jure carniũ & urina*, id quod ex pontificiis conceſſere *Thomas Aquin. Tom. 12. ſum. par. 3. quæſt. 66. Guido in manip. curat. de Bapt. c. 2. ſed aqua* neceſſariò utimur propter testimonia & noſtri *Baptiſtæ, & Chriſti, Ioh. 3. v. 5. & Pauli, Eph. 5. v. 26. & Petri, 1. Pet. 3.*

*Gloſſa Piſcato-  
ris frivola.*

*Aqua bapti-  
zandum.*



v. 21. & Ioannis Apost. 1. Ioh. 5. v. 8. imò propter vaticinia, Ezech. 47. v. 1. Zach. 13. v. 1. Esa. 12. v. 3. & exempla Christi, Matth. 3. v. 16. Apostolorum, Act. 2. v. 41. c. 8. v. 24. c. 12. v. 47. &c. Bellarminus l. 1. de Bapt. c. 2. Lutherum accusat, quod in Colloq. conviv. concesserit, etiam cerevisia baptizari posse, sed ille colloquiorum liber à Luthero nec lectus nec approbatus est, imò contrarium docet, Luther. Tom. 7. Ien. Germ. p. 469. ¶ IV. Observ. ministerium verbi non esse vilipendendum, quia Deus est qui baptizat, Deus est qui prædicat, Deus est qui absolutionem annunciat, Deus est qui communicat, *minister tantum commodatò dat manum & linguam*, Nazianz. amemus itaq; illos, per quos Deus tot & tanta nobis largitur, &c.

In medio vestrum stat. ] Describit Baptista, I. indubiam Christi præsentiam, dicens quasi: Non amplius concionor ego de futuro Messia, prodiit enim in publicum, manifestatus est, imo in medio vestrum est. Quidam hoc loco urgent præteritum *sterit*, respicientes ad historiam, Luc. 2. v. 46. ubi Christum duodennis puer in medio Doctorum sedisse dicitur, sed nimis longè hæc petita sunt, & vulgaris est phrasilla: *Er ist mitten im Land* h. e. *adest*, cum autem stare sit illius, qui ad faciendum officium paratus est, non immerito hic de Messia dicitur, stat in medio, h. e. *non quiescet, donec Patris sui fecerit voluntatem*. II. depingit Ioannes summam Iudæorum malitiam, dicens: *quem vos nescitis*; quidam hæc referunt ad statum exinanitionis, quod Christus inter Iudæos, ut nudus aliquis homo, Phil. 2. v. 7. versatus, indeq; non agnitus sit, quis scilicet & quantus esset, cum Baptistæ hoc, & ex Patris voce, & ex Spiritus S. descendente super Christum revelatione sit patefactum, Chemnit. Sed rectiùs interpretabimur hæc de *malitiosa ignorantia*, nesciverunt illi Christum, h. e. scire & agnoscere noluerunt, *sui non receperunt ipsum*, Ioh. 1. v. 11. III. depingit Baptista veram Christi humanitatem: Hic est, *qui me sequitur, a tate scilicet, Natalibus ac miraculis, vel ut Remigijs: Christus post Ioannem venit, nascendo, prædicando, baptizando, moriendo, & ad inferos descendendo*, quod s. membrum, quia *limbum* respicit, merito omittitur. IV. describit Ioannes Christi divinitatem; *Qui fuit ante me*, Antiqua: *Qui ante me factus*, id quod Ario ansam dedit negandi Christi divinitatem, ut jam dicemus. Et verè Christus ante Ioannem fuit juxta æternam suam deitatem, fuit enim *in principio*, Ioh. 1. v. 1. fuit *ante Abraham*, Ioh. 8. v. 88. fuit *ab initio rerum creaturarum*, Prov. 8. v. 22. unde & Syrus



Syrus habet vocabulum: *Kedamai*, quod inter alia etiam *Aeternum* significat. Equidem Lutherus & alii putant hic agi de Messiae dignitate, hoc sensu: Qui post me venit, *Antepositus est mihi*, ut Beza reddidit, vel ut Tremell. *Prelatus est mihi*: Sed res eodem recidit, cum Christi dignitas ex aeterna ipsius divinitate fluat, adeoque verum manet illud Ardentis: *Qui post me venit, nascens in humanitate, mihi prepositus est Majestate.*

¶ Confutabimus hic primò Arium, qui ita conclusit: *Post me venit, qui ante me factus est, Ergo Christus non fuit coaeternus cum patre nec verus Deus*, Resp. In culpa est antiqua versio, quæ pro *FUIT* legit *FACTUS*, aliàs in hoc ipso Evangelio quot extant testimonia Deitatis Christi? I. cui Baptista viam paravit ille est *Iehova*, Esa. 40. sed Christo paravit viam, Ergo. Qui baptizat Spiritu S. is est Deus, quia Spiritu baptizare, est *cor mundum in homine creare*, id quod solius Dei, Psal. 51. v. 12. sed Christus Spiritu S. baptizat, Ergo. Qui infinitum onus portat, ille infinitus sit oportet, sed post hodierni Evang. finem dicitur de Christo: *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi*, Ergo est infinitus & per consequens verus Deus. ¶ II. Confutabimus Iudæos, qui putant Messiam nondum venisse, cum tamen Baptista dicat voce sonora: *In medio vestrum est*, ergo exhibitus, jam vero tantus vir Ioannes est, ut ejus testimonio indubitanter credere possimus, quia *angelus ille Domini*, Mal. 3. Certus itaq; & omni acceptione dignus sermo, quod *Christus Iesus VENIT in mundum*, 1. Tim. 1. *Missus est à Deo*, Gal. 4. *nec alius expectandus*, Matth. 11.

*Christus verus Deus.*

*Christus eertò venit.*

*Non sum dignus.* ] Matth. 3. v. 11. *ut soleas portem*, Marc. 1. v. 7. *ut incurvatus solvam*, proverbialis locutio vilissimum denotans servitium, ut aliàs dicere solemus: indignus sum, qui illi *matulam porrigam*, Brent. Et profectò insignis hæc humilitas est; magnum quod Maria *ad Christi pedes sedet*, Luc. 10. Majus quod Petrus *ad Christi pedes procumbit*, Luc. 5. maximum quod Maria Magdalena *Christi pedes lacrumis lavat*, Luc. 7. sed quid de Ioanne dicemus, descendit ille & dimittit se *non ad pedes tantum*, sed & *ad calceos imò calceamentorum corrigias*, quas ut solvat, se indignum dicit. Pontificii hîc disputarunt de Christi calceis, an gestarit soleas nec ne? *Lyra* dicit Christum per Metaphoram ita locutum, juxta communem loquendi modum, quo utantur illi, qui suam parvitatem & alterius excellentiam velint exprimere, aliàs Dominum calceamenti non usum, cum calceos Apostolis interdixerit, Luc. 10. v. 4. & 22. v. 35. ipsum autem Christum sedulo fecisse id, quod aliis

*An Christus gestavit calceos.*

R

præce-



præceperit, Act. 1. v. 1. Nonnulli addunt, nec Mariam Lazari sororem, nec peccatricem Christi pedes inungere, nec Simonem illis dare aquam potuisse, Luc. 7. v. 44. si Dominus fuisset calceatus. Quidam contra volunt calceatum fuisse Christum, quia Marc. 6. v. 9. de discipulis dicitur quod fuerint calceati, & Petrus etiam jubetur induere calceos, Act. 12. v. 8. Costerus, ut hanc litem dirimat, putat certo modo Christum fuisse calceatum, ita, ut ima pedis, etsi non summa solea protegeret corrigiis adstricta, ad similitudinem Cappucinatorum. Imò Philastrius fol. 34. quosdam fanaticos nominat EXCALCEATOS, qui propter locum, Exod. 3. v. 5. & exemplo Esaïæ (fortassis etiam Christi & Apostolorum) docuerint, homines debere ambulare discalceatos, refert Mehlhurerus th. 79. Verùm boni pontificii meritò ad Baptista calceos metiri debebant, calceamenta sui Pontificis Romani, qui eò superbix progressus est, ut certe Joannis soleæ ipsi non convenirent, Joannes enim dicit, se non esse dignum ut Christo solvat corrigiam, quid autem Papa? is nominat se Christi Vicarium, dicit se cum Christo unum habere consistorium, se esse non modo potestate Petrum, sed & unctione Christum, imò permittit, ut ipsi ab eminentissimis etiam, non modo solvantur, sed & osculo honorentur calcei; hæc si papistæ meditentur, facile de Christi calceis certamen foret. Calviniani etiam ex calceamentis Christi, nescio quid colligunt, *Nahumius in Conc. pag. 47. & 48.* ita argumentatur: Qui habet membra humana, est verus homo, Christus habet, Ergo: Minorem probat, quia habuit pedes calceis munitos, indeque Gravem monet instruendam esse querelam, contra illos, qui Christo ejusmodi corpus affingant, quod omnia loca repleat, certe (inquit) quod immensam habet essentiam, quis pedis ejus aptaret soleas ac corrigas? Verùm, quis non videt quantitativam corporis Christi extensionem & expansionem nobis hîc affingi, à qua tamen alienissimi sumus, imo quis non videt à calceis Christi ad conditionem corporis ipsius concludi ineptissime; nos putamus Calceos Christi ad statum exinanitionis servilem pertinere, quam humilitatem, quia Christus ad patris dexteram residens, jamdudum exiit, calceos utique exiit etiam, unde majestas Christi inviolata æternum manet, licet nos soleas ipsi aptare non possimus, quia ubi Christus, ut *θεοῦ ὄνομα* præsens est, ibi etiam humana natura est præsens, sine hac enim *θεοῦ ὄνομα* Christus non est. Sed Christus, ut *θεοῦ ὄνομα* ubique præsens dominatur, etiam *in medio inimicorum*, Psal. 110. v. 2. Ephes. 4. v. 10. Mart.

*Coforus  
Schneidet Chri-  
sto ein par Ca-  
ppuciner Hölz-  
Schuch zu.*

*Calvinische  
Schuster Ge-  
danken.*



18. v. 20. Ergo ab hac præsentia humana Christi natura excludi non potest, nisi aperte unionem personalem quis solvere, & sessionem Christi ad dexteram Dei negare velit. ¶ *Discamus, I. Christianorum esse, ut honore sibi invicem præveniant, Rom. 12. v. 10. ita Christus se ipsam humilians, commendat Joannem, ut inter natos mulierum maximum, Matth. 11. Joannes verò Christum extollens dicit, se indignum esse, ut ejus solvat corrigiam. Sic enim fratres mei, sic semper consueverunt sancti, non solum Christi, sed & aliorum sanctorum virtutes admirari & suam considerare imperfectionem, ut sic discant alios sibi præferre & se humiliare. Sic Petrus (Apostolorum princeps sola umbrâ sanans infirmos) non suam virtutem, sed Pauli sapientiam admiratur, dicens: Frater noster Paulus secundum sapientiam à Deo sibi datam, 2. Pet. 3. v. 15. Paulus autem hanc laudem usque ad eò non agnoscit, ut se minimum Apostolorum nominet, 1. Cor. 15. v. 9. Bona itaque que habemus parva esse estimemus & mala nostra multiplicemus: Mala autem proximi vel disimulemus, vel attenuemus, illius verò bona semper admiremur & imitari sat agamus: Hunc superbiienti Sauli dicit Dominus: cum esses parvulus in oculis tuis caput in tribus Israel factus es, 1. Sam. 15. v. 17. quasi diceret: Cum te parvum conspiceret, ego te præ ceteris magnum feci: nunc verò quia tu magnum te conspicias, à me parvulus estimaris, Rad. Ardens, ideoque nihil agamus per inanem gloriam, sed per humilitatem aliam quisque se præstantiorem existimet, Phil. 2. v. 3. ¶ *II. Disc. humiliari sub potenti manu Dei, 1. Pet. 5. v. 6. Erubescat presumptio & superbia nostra, quia Iohannes inter natos mulierum maximus, dicit se indignum, quod solvat corrigiam, & tu dicis te Dignum Sacerdotio, dignum Pontificio: Ioannes lucerna ardens dicit se indignum, & tu carbo fumigans putas te dignum, Rad. Ardens, quanto rectius Paulus de ministerio exclamans: Adhæc quis idoneus? 2. Cor. 2. v. 17. & alibi: non sum dignus Apostolus vocari, Dei autem gratiâ sum, quicquid sum, 1. Cor. 15. v. 9. imò quanto rectius Lutherus, qui ad D. Justum Joannam, in morbo & tentatione de indignitate, hæc præscripsit: Indignus sum; sed dignus fui creari à creatore meo: indignus sum; sed dignus fui redimi à filio Dei: indignus sum; sed dignus fui doceri de filio Dei & Spiritu S. indignus sum; sed dignus fui, cui ministerium verbi credatur, &c. in append. Colloq. mens. 6. 19. Verè enim nec digni nec idonei sumus à nobis ipsis, tanquam à nobis ipsis, dignitas autem & sufficientia nostra ex Deo est, 2. Cor. 3. v. 5. si autem homo indignus est Ministerio Ecclesiastico, quomodo dignus erit vita æterna, quod tamen vult Bellarm. l. 5. de justif. c. 3. ubi mul-**

*Honore nobis  
invicem præve-  
niamus.*

*Humilitati su-  
deamus.*



ta compilavit dicta, in quibus pii dicuntur *vitā æternā digni*, indeq; concludit, *vitā æternā dignari*, & *vitam æternam mereri*, idem esse. Sed distinguendum est, inter dignitatem *legalem* & *Evangelicam*, legaliter nemo dignus est *vita æterna*, quia omnes omnium Sanctorum Passiones indignæ ab Apostolo censentur ad futuram gloriam, Rom. 8. v. 13. Evangelicè autem pii regno Dei digni dicuntur, dignitate *non activa sed passiva*, *non inherente sed imputata*, *non meritoria sed gratuita*, ex dignissimo Christi merito redundante. Agnoverunt hoc sancti; hinc suam fatentur indignitatem, dicentes: sum minor *indignusq;* tuis, Deus optime, donis, Gen. 32. v. 10. Non sum *dignus*, ut ejus solvam corrigiam, Joh. 1. v. 29. non sum *dignus* ut intres sub tectum, Matth. 8. v. 8. imò tota triumphans Ecclesia, in Christi dignitate exultat, dicens: Tu Domine Deus noster, *dignus* es accipere gloriam & honorem & virtutem, Apoc. 4. v. 10. h. e. non nostra dignitate, sed tua dignatione has coronas gestamus: vel, ut *Ardentius* de nostro Baptista: *Quomodo dignus Iohannes & indignus? Dignus erat, fratres, non ex se, sed ex Dei dignatione, non dignus ex vi propria, sed dignus ex gratia, nihil itaque suis meritis tribuit, qui ad solvendum calceamentum se indignum dicit. Gratiastaque agamus Deo Patri, qui dignos nos (indignos) fecit ad participandam sortem sanctorum in luce, Col. 1. v. 12.* ¶ III. Disc. quid faciendum sit quando Auditores hærent in persona Ministrorum, & illis nimium tribuunt, ut factum apud Corinthios, ubi alii Petro, alii Apollo & alii Paulo adhæserunt, 1. Cor. 3. v. 4. Opponatur talibus descriptio Ministerii: *Ego tantum vox clamantis, Ego baptizo aqua, efficacia verò soli Christo tribuatur, ita, ut etiam qui maxima dona habet, dicat: Non sum dignus calceamenta solvere. Nam veri Ministri officium est, auditores non in sui admirationem rapere, vel, ut Paulus loquitur, ad se pertrahere, Act. 20. v. 30. sed ad dominum ducere, qui enim plantat nihil est, & qui rigat nihil est, sed qui dat incrementum Deus, 1. Cor. 3. v. 7. vide Chemn. Harm. c. 21. p. 71.* ¶ IV. Jucundæ etiam sunt calceorum Christi allegoriæ 1. Teophyl. in Marc. *qui omnibus corrigiam solvit, hoc est, vincula peccatorum, Christo solvere non potuit, quia in eo nihil peccati invenit.* 2. olim qui fratris sui viduam ducere noluit, exutum illi calceum tradidit, Ruth. 2. v. 7. Deut. 25. v. 7. *historia simplex, sed alta mysteria, aliud gerebatur aliud figurabatur: Sponsa erat Ecclesia, cui desponsari debuit, non Moses; illi enim dicebatur: Solve calceamentum pedum tuorum, Exod. 3. v. 5. non Iosua, licet ejusdem cum Christo nominis esset, nam & ipsi dictum:*

*Auditores Ministris non nimium adhærent.*



dictum: Solve calceamentum pedum tuorum, Joh. 5. v. 15. solus itaq; Christus Sponsus est, quia illi calceamentum solvi non potest, sicut dictum: Non sum dignus solvere, &c. unde idem dixit: Qui Sponsam habet Sponsus est, Ioh. 3. v. 29. ex Ambrosio l. 3. de Fide c. 5. p. 71. ubi tamen, & in his & in aliis allegoriis orthodoxa studiosè observanda.

Hæc in Bethabara facta sunt. ] Legati hi missi erant, ut Messiam quærerent & invenirent, sed cum Joannes dicit adesse Christum & in medio illorum stare, ne verbulo legati inquirunt, quis sit, aut ubi sit, ut agnosci possit ac recipi, sed discedunt re infecta, sic zichen sahl ab Joanne in suo manente & proposito & baptizandi officio, juxta illud: Recht muß doch recht bleiben / Psal. 94. v. 15. consilium meum stabit (inquit Dominus) & omnis mea voluntas fiet, Esa. 46. v. 10. pari modo, quot hodieque simulant se avidè Christum, Christi agnitionem, gratiam & salutem quærere, sed in verbo & Sacramentis quando Christus offertur, de applicatione nihil sunt solliciti, agitant alias quæstiones, & tandem pessimi sanæ doctrinæ hostes fiunt, ut Pharisei, Chemnit. Additur itaq; in majorem rei confirmationem, locus ubi hæc gesta, videlicet in Bethabara; Epiphanius in analogis legit: in BETHAMARA, quod Chemn. interpretatur: domum prædicationis, à Ministerio Joannis sic dictam. Philippus Melanthes. refert quosdam legere BETHARABA, quod nomen, Ios. 15. reperitur & significat domum deserti, sed addit Melanthes, non fuisse locum celebrem, ad meridiem Hiericho in finibus Judæ & Benjamin situm, nec habuisse commoditates, ministerio Joannis opportunas. Alii ex antiqua versione legunt: BETHANIA & duplicem faciunt Bethanian, quarum una sita sit prope Jerusalem, Lazaro præbens hospitium, Joh. 11. altera verò ultra Jordanem sicut Syrus dicit: in Bethania in transitu Jordanis. Sed nos retinemus BETHABARA, quod significat domum trajectus, à Beth domus & Abara transire, convenit Germ. Ueber / ein Forth / da man uber fehret / deducit ex Beth- Abara Phil. Mel. per Metathesin litterarum: Brad, h. e. pagum trans Albim Witebergæ vicinum, quia antequam pons est constructus, trans Albim, navigio ibi homines transvecti sunt. Item Bretsch / qui pagus medius est inter Witebergam & Torgam. Distabat autem Bethabara Hierosolymis 4. milliar. versus ortum, & libenter ibi Johannes baptizavit, tum ob quotidianum populi fluvii trajicientis concursum, tum ob typos: I. Naamii ibi sanati, quia in baptismo à spirituali liberamur lepra, 2. Reg. 5. v. 14. II. Israelitarum per hunc

Brate bey  
Wittenberg  
unde?  
Bretsch.

Cur libenter in  
Bethabara Io-  
annes baptiza-  
rit.



*Peregrinationes  
quomodo  
instituentur.*

locum terram sanctam ingressorum, quia Baptismus noster *iter cali est & primus sanctorum introitus*, Basil. Jos. 3. v. 17. III. *Iosue*, qui in loco exaltari cepit, sicut & baptismus est *initium gloria & exaltationis*, Jos. 3. v. 7. ut &, IV. *Gedeonis*, qui hoc loco Midianitas vicit, Jud. 7. v. 25. quia in baptismo omnes nostri hostes vincuntur & prosternuntur. ¶ Discas hic, licet suam quandam utilitatem & jucunditatem habeat, ejusmodi loca visitare, ubi memorabilia veteris & N. T. pleraq; gesta, videndum tamen, ut fiat hoc sine vocationis neglectione, ut & sine superstitione; hæc enim si adsint, peccatur in Deum, periculumq; amatur. Merito itaq; explodimus *Costerum in Conc. p. 126.* qui de Bethabara dicit: *illum locum, & ante & post Christi tempora, non tantum in honore habitum, sed & PIE CULTUM esse, imo celebratum hunc locum peregrinationibus, tum SANITATIS, tum DEVOTIONIS ergo.* Sed quomodo hæc Costerus probabit? Vix probabit, si ipsum vel omnes Jesuitæ & Papistæ adjuvent; Nos mittimus Judæorum legatos, mittimus Joannis baptisterium, imò ipsam etiam Joannem mittimus, & gratias agimus Christo, qui in Bethabara baptizatus est, juxta *Damascen. lib. 4. Ori. hod. fid. c. 10.* ideo: *ut capita Draconum in aqua contereret, ut peccatum obrueret, ac totum veterem Adamum sepeliret, ipsi sit laus & gloria, Amen.*

## In Natalitiis Christi Servatoris

Evangelium, Luc. 2.

**A**ctum est autem in diebus illis, Exiit decretum à Cesare Augusto, ut censeretur totus orbis. Hæc descriptio prima facta est præside Syria Cyrenio, & ibant omnes ut profiterentur, in suam quisq; civitatem, Ascendit autem & Joseph